6
29-F
119

6
5 D
54

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

6-29.F.119

# VIRI EXIMII
# PETRI PVTEANI,
## REGI CHRISTIANISSIMO A CONSILIIS ET BIBLIOTHECIS
# VITA.

Cura Nicolai Rigaltii.

Bibliotheca Coll. Rom. Soc. Jesu





BIBLIOTECA NAZIONALE V.E. ROMA

LVTETIÆ,
EX OFFICINA CRAMOSIANA,
ſub Ciconiis.

CIↃIↃCLII.
CVM PRIVILEGIO REGIS.

BIBLIOTECA NAZIONALE V.E.
ROMA



PETRVS PVTEANVS
CL. FIL.

Nantueil Faciebat

BIBLIOTHÈQUE ... 1918

# AD ILLVSTRISSIMVM AMPLISSIMVMQVE MATTHAEVM MOLAEVM, SENATVS PRINCIPEM, FRANCIAE PROCANCELLARIVM.

VENIT, ecce, Molaee praeſtantiſſime, Puteanus. Adeſt manibus tractandus tuis & conſpiciendus oculis ille nuper intimae admiſſionis & omnium horarum amicus. Sic viſum tibi eſt adferri poſſe tuo ſimul & publico dolori ſolatium. omnéſque adeo boni maximo conſenſu decrevêre publicam viro eximio laudationem. Et haec laudatio Vita eſt, quam mortuis tribuunt benemerentibus li-

terae. Sed Vita haec Puteanum vixiſſe narrabit. & veriùs dicetur Hiſtoria viventis inter mortales Puteani. Quale beneficiùm, naſci mortalem! quem ſic vivere oporteat, ut mortem in horas exſpectet! Magnum ſanè beneficium Chriſtiano, cui ſic datum eſt inter mortales vivere, ut mortuus aeternùm vivat. Talem accipe, ſapientiſſime Molaee, Puteanum huncce meum; in quo tuum ſic agnoſces, ut jam meus dici conſtanter haud queat, niſi me priùs per adoptionis alicujus imaginem tuum eſſe juſſeris Puteani Rigaltium.

Henrici tertii principatu, rebus in Aquitania, factioſo per ſpeciem religionis diſſidio turbatis, animi gen-

tis illius, Belgis noſtratibus acriores, ita ſe ſtudiis invicem contrariis exaſperaverant, ut etiam apud judices illic bipertita claſſe ex utroque Catholicorum, & Proteſtantium dogmate lectos ſententiis jure dicundo diviſis, litigantes crebris ampliationibus incerti ac dubii vexarentur. Cui malo tollendo, Flexana Collatione convenerat, ut ex Senatu Pariſienſi mitterentur ab Rege pacis amantes viri, qui de Proteſtantium cauſis cognoſcerent, & gratia procul, procul odio, nullo partium reſpectu, ſuum cuique tribuerent, ſive Proteſtanti, ſive Catholico. Itaque, delegatis in eam provinciam ex ordine ampliſſimo Pariſienſi viris quatuordecim, praeſes impoſitus à rege Petrus Seguierus, adſumptíque

ad procurationem publicam ſive regiam Petrus Pithoeus & Antonius Loiſellus. Inter illos quatuordecim lectiſſimos Senatores Claudius Puteanus tantum collegas ſuos demonſtrabat, quantum ipſe collegio ſuo demonſtrabatur. Summam viri prudentiam, doctrinam, ſolertiam, ſupráque omnia probitatis integerrimae conſtantiam, Scaevola Sammarthanus, & ipſe inter delegatos ſpectatiſſimus Iacobus Auguſtus Thuanus, laudavêre, teſtimoniis profectò magnis, haud tamen ſupra veri fidem faventibus. Certè, cumprimum ego ad rem litterariam acceſſi, ad quoſcumque me conferebam dicendi ſcribendique peritiſſimos, apud omnes vigebat Claudii Puteani nomen & gloria. neque ullum attingebam altioris

tioris cothurni volumen, quod non plurima mihi de Puteano ſignificaret valde proba. Quinetiam, ſimul atque innotuit defuncti manus, obſervabam codices omne genus auctorum vetuſtiſſimorum ab ipſo notatos, tanto judicio, tanta peritia curáque, ut jam ſubiret querela, tam felicis ingenii virum, tam multa, támque praeclara, quae mente conceperat, non protuliſſe. etenim tantùm ferebantur in Velleium Paterculum & Panegyricos notae, quae noſtrae ſitis ardorem vehementer augebant. adeo quidem ſibi; adeo verò poſteris defuiſſe videbatur. neque indignando deſtitiſſem, niſi me repreſſiſſent qui gravibus & aſſiduis in Senatu curis occupatum fuiſſe norant; praetereáque difficillimis motuum

civilium vorticibus natali ſolo & ſtudiis amoenioribus abreptum avulſúmque; ac tandem obſtructis calculoſa congerie renibus, aegritudinis diritate eò ſaepe redactum ac percitum, ut ipſe ſibi mortem propinaturus videretur, niſi legis Chriſtianae fuiſſet obſervantiſſimus. Patrem habuerat Claudius Clementem Puteanum, quem inter nobiles eo ſeculo cauſarum in Senatu Pariſienſi patronos celeberrimum fuiſſe juris conſultum teſtatur elegans & erudita Dionyſii Lambini ad Ioannem Maludanum epiſtola, & in famoſa illa Merindoliorum cognitione, expetitum ab Oppeda Maenerio ſub graviſſimis criminationibus laborante, Clementis Puteani, & Petri Roberti conſilium patrociniúmque. Clemens igi-

tur, ut erat juris peritiſſimus, eodem ſtudio Claudium ſuum apprime curaverat excolendum. & alterum quidem filium de patris nomine Clementem, qui poſtea in Ieſuitarum ſodalitio concionator, ſumma doctrinae, pietatis, & eloquentiae gloria claruit. Sed & Claudius ipſe ſub Hadriano Turnebo, mox etiam ſub Cujacio tantopere profecerat, ut paterna fraternáque luce ſimul & proprio fulgore ſplendeſceret, accitúſque in Senatum Pariſienſem, mox inter illos quatuordecim, quos in Aquitaniam delegatos fuiſſe diximus, ſpectaretur. Conſedêre autem illi primò Burdigalae, in fano Dominicanorum, aperto Senatu, poſtea verò Aginni Nitiobrigum; dein Veſunae Petrocoriorum; poſtremò, Mediolani San-

tonum. Sic per triennium pacata provincia praepotens, ſapientiſſimorum judicum aequanimitatem experta, didicit, ſuis illis utrimque pro religione factionibus totam religionis ſubſtantiam mutuo ſacrilegio profligari; & in proximo fuiſſe perniciem. Conſidentibus igitur Aginni delegatis, quinto Cal. Decembr. anni ſupra milleſimum Chriſtianum quingenteſimi octogeſimi ſecundi, natus eſt Claudio Puteano tertius ex Claudia Sanguina filius. Sanguinae pater erat Iacobus Sanguinus Libriaci dominus, mater Barbara Thuana Chriſtophori Thuani Senatus Principis ſoror. & Sanguinorum quidem familiam vetuſtiſſimae Pariſiorum chartae inter ſuas praeclarae nobilitatis origines oſtendunt. Infantem in Se-

natoria purpura genitum ad ſacramenta baptiſmi Chriſtiani ſuſcepêre delegatorum praecipui, Seguierus praeſes & Ioannes Tumerius Boſſiſius, ac de nomine Praeſidis appellavêre Petrum. Atque hic fuit Petrus Puteanus, cujus vitam conſtitui tradere poſteris; rarum quietae ac privatae, ſed nihilominus honoratae, peſſimo ac turbulentiſſimo ſeculo, virtutis exemplum. Summa curarum fuit optimis conjugibus educatio liberorum, quos habuêre complures. Etenim Petrum huncce noſtrum, jam ut diximus tertium, ſecuti ſunt quinque; tres fratres & ſorores duae. onus illis temporibus grave, in ſanctiſſima praeſertim familiae Senatoriae frugalitate, magis attenta damnis evitandis aut ſaltem levan-

dis, quàm lucro captando. Adhibuit Claudius liberorum inſtitutioni Paulum Renealmum Bleſenſem, litteraturae Graecae ſimul & Latinae bene peritum. quod editae ab ipſo variarum ſtirpium conſiderationes firmant. atque hunc domeſticum quidem doctorem. Nam & Chriſtophorus & Auguſtinus, & noſter Petrus, publicas praeterea exercitationes habuêre Theodori Marcilii, & ipſius etiam Caſauboni. Satis erat illis domi pater, ſi non eum penatibus ſuis quotidianae Senatorii muneris occupationes abſtraxiſſent. Hunc igitur in modum inſtitutam octo liberorum curam Claudius, acerba morte, petroſo illo renum cruciatu raptus, anno aetatis quadrageſimo nono nondum exacto, uxoris diligen-

tiae commiſit. Parens octo libero-
rum vidua marito , deſideratiſſimi
memoriam & pignora illa matrimo-
nii ſanctiſſimè concepti tranſactíque,
per annos propè quadraginta ſingu-
lari ſemper fovit affectu: pulcro cer-
tamine amoris utrimque & reveren-
tiae perpetua concordia , felici ſuc-
ceſſu. nam & filii frugi: filiae hone-
ſtiſſimè collocatae ; omnes originis
ſuae decus integrum ſervavêre. Fi-
liorum maximus natu Chriſtophorus
ab exordio juventutis Eccleſiaſticam
in Regia dignitatem obtinuerat , &
ad majores viam ſternebant amici.
Sed jam aulae ac ſeculi moleſtiarum
pertaeſus , ad religioſae vitae ſtudia
ſe recipere decreverat. neque ultrà
moratus , Cartuſiae Burgofontanae
ſacra ſuſcepit. unde aliquanto pòſt ,

in Franciſci Cardinalis Barberini favorem & gratiam adnuente Ordinis Cartuſiorum praepoſito generali, Romam migravit ad ejuſdem diſciplinae Cartuſiam, ubi eſt in hunc uſque diem, ob eximiam cum ſingulari pietate prudentiam, ad officia Prioris & Procuratoris generalis electus, ac per annos jam duos ultra viginti ſumma cum religioſorum omnium laude ac veneratione continuatus. Secundus à Chriſtophoro Claudii filius Auguſtinus, vitae genus Ordini etiam ſacro devotum, ſed diſciplinae mitioris legibus adſtrictum amplexus, ſedit inter Canonicos Eccleſiae Carnutenſis, ubi & Ingrëanae praefecturae dignitate gaudebat, litteraturae politioris elegantia clarus. Is vitam ſectatus aequabilem magis quàm nego-

negotioſam, facta cum Petro & Iacobo ſocietate paternae bibliothecae communi cura ſumptúque ſervandae atque amplificandae, annum agens ſexageſimum febre letali correptus, partem ſuam ſociis, uti pactum conventúmque fuerat, tranſcribſit. Alii duo, Clemens & Nicolaus, bellicis artibus dediti. Clemens, militia variis expeditionibus tolerata, proelio ad Avinam in Belgis commiſſo, pro Rege fortiter occubuit, relicto ex Catharina Longovalla filio. Nicolaus, eques Hieroſolymitanus, in atroci triremium Meliteníium adverſus Biſertanas conflictu, quo praefectus triremium Chriſtianarum, Equitéſque ampliùs centum, periêre, deſideratus eſt. De Petro jam dicenda ſunt digna ſcitu quamplurima. &

in iis frequens erit nobis Iacobus, qui vita, quam vulgari vocabulo ſecularem nuncupamus, de Claudii filiis ſolus eſt hodie ſuperſtes, Petri ſtudiorum comes aſſiduus, particeps conſiliorum & adjutor laboris. hujus nomen, etſi modeſtiae ac pudori viventis obſecutus reticeam, ſemper intelligi tamen deinceps cum fratre velim, quando nec abſque illo quicquam frater aggreſſus eſt unquam. Petrus igitur Puteanus, per adoleſcentiae gradus omni litterarum ac ſcientiarum genere diligenter imbutus, primo juventutis adhuc flore forenſibus admotus negotiis, cauſam pro ſuo praeceptore Paulo Renealmo, jam doctore medico, adverſus Bleſenſes pharmacopolas, ſub Achille Harlaco primario praeſide doctè

ac diſertè peroravit, & vicit. Satis eloquio, ſatis memoria; judicio longè ſupra annos pollebat: valetudo non ſufficiebat. immo, quantulum in ea roboris eſſe videbatur, inter athletica illa fori jurgia firmari aut ſervari poſſe medici negabant. ſed & ingenita iuveni gravitas, & verecunda prudentia, mores ſuggerebat ab illa grandium cauſidicorum ferocia valde alienos. Itaque ad munia tranquilliora converſus, in illa ſe potiſſimùm juris parte exercuit, quae ad rempublicam ſpectat; cujus ope regna ſive imperia unius aut plurium legitimè tenentur & conſervantur. Partes implere poterat optimi Senatoris digniſſimus heres Claudii, ſed jam conſtabat ea dignitas pretio, numeroſae familiae difficili tunc atque

damnoſo. Illa rerum notitia publicarum, ab ipſo pendebat: Omnia domi tranquilla, honeſtatis & modeſtiae plena: matris liberorum amantiſſimae pia ſedulitas: fratrum conſenſus in ſtudia fratris, otium illi beatum faciebant. Sic in otio neutiquam ignavo vires idoneae ſuppetebant ſatagenti: ſic omnes omnium imperiorum hiſtorias evolvit, unde, quae ad propoſita facerent excerperet. erant ad manum libri, & praeſto veterum chartarum ſupellex, unde arcana temporis anteacti paterent: ſumma ſagacitas indagandis veſtigandíſque, ſumma diſcernendis peritia, examinandis penſitandíſque judicium circumſpectiſſimum. Tam clarae indolis juveni latêre diu non licuit. illico fama propinquos & ad-

fines, quos habuit è praecipuis Lutetiae magiſtratibus complures, excivit. inde ad alios paſſim pervagata, conflavit amicorum copiam tanto paratu ſpectabilem, ut nemo jam in Vrbe virtutis aut eruditionis gloria cenſeretur, qui Puteano illa jam aetate florentiſſimo non faveret, Scaligeri Lipſiíque & ceterorum paternae memoriae cultorum commendatione obſervantiáque notiſſimo. Inter ceteros ego tunc Franciſci Pithoei benivolentia fruebar, qui Petro Pithoeo fratri jam novennio ſuperſtes maximi viri nomen peculiari ſua laude ſuſtinebat. Is mihi fores ad Iacobum Auguſtum Thuanum aperuit, & gloriari liceat tanto ductore, mox & ad Puteanos. Ac Thuanum quidem jam in ampliſſimo Se-



[library stamp]

natu praeſidem de prima illa ſuarum hiſtoriarum editione cogitantem reperi : Puteanos , trina germanitatis ſuae concordia paternae bibliothecae amplificandae curam concipientes : Petrum ipſum quotidianae forenſium exercitationum auſcultationi ſtudia illa , quae regnorum atque populorum jura temperant , ſuperinducentem. Ab eo tempore, quod ſemiſeculum prope decurrit , nobiſcum interceſſit amicitia tam bonis orta principiis , ut etiamnunc Petri obitu,media parte apud Deum tranſlata , non interrupta nec intermiſſa , ſed immortalitati tradita continuare ſentiatur. Illius verò ſemiſeculi annos octodecim ſibi vindicat Iacobus Auguſtus Thuanus. etenim tamdiu ego & Puteanus cum ipſo perpetua

familiaritate conjunctiſſimi viximus. Summa illic opinandi, interrogandi ac diſſerendi libertas. ſic tamen ut honoris & modeſtiae magiſtra ſeveritas ubique praeeſſet : ſumma fides, ſummus candor, ſumma ſinceritas. Atque hoc ipſo temporis ſpatio ſuaviſsimè ac diligentiſsimè, quà litteris, quà conſuetudine, officiis & obſequio, coluimus è magiſtratibus Achillem Harlaeum Senatus principem, Thuani ſororium, Iacobum Gillotum, Ludovicum Servinum, Iacobum Gueſlam, ſummos in Senatu viros : Nicolaum Fabrum, Iuſtum Lipſium, Ioſephum Scaligerum, Ioſiam Mercerum, Iſacium Caſaubonum, Bonaventuram Vulcanium, Scaevolam Sammarthanum omni doctrinarum genere excellen-

tes, qui ſuometipſi deſiderio compulſi, Claudii Puteani amicitiam ſive memoriam in Petro noſtro revireſcentem jucundiſſimè conſpiciebant & amplexabantur. In iſto certè amicorum commercio Petrus, quod ſibi proprium eſſe poterat, maluit mecum eſſe commune. Itaque uberrimam nobis amicorum copiam praeſtabant frequentes apud Thuanum coïtiones, ad quem ex omnibus Vrbis ordinibus & regni provinciis, atque etiam de nationibus exteris honeſtiſsimi ac ſtudioſiſsimi confluebant. Magna illic ſeges & materia noſcendi, quid in Vrbe, quid in Senatu, quid in provinciis notabile contigerat, & quid novi de tranſmarinis aut tranſmontanis vela, remiges, curſores attulerant. Et mira inibi

bi fuit ſingulis dijudicandis ac diſtinguendis prudentia Petri : mira comparandis quae probata fuerant induſtria; ſubnotandis acre judicium, deſcribendis labor indefeſſus. Atque hinc primordia divitis illius memorabilium gazae, qualem noſtratium hactenus poſſederat nemo : quam tanti plurimi facio, quanti aeſtimare par eſt exemplorum acervum ingentem, praeſtantiſsimi diſpenſatoris manu liberaliter adminiſtratum. Certè, ſuppetias iſthinc adfuiſſe ſibi non infitiantur viri optimè de litteris & rebus noſtris meriti, Iacobus Sirmondus, Ludovicus Chantereavus Faber, Claudius Salmaſius, Andreas Ducheſnius, Petrus Gaſſendus, Claud. Menagius, Theodorus Gothofredus, Chriſtophorus Iuſtellus, Ioan-

nes Beſlius, Lucas Holſtenius, & gemella Scaevolae proles, Sammarthani, alii plerique. Adeo, ſi Petrum, unde amicis tanta tam multis adjumenta praebebat, inde ſibimetipſi maxima comparaſſe dixero, fidem facturus videar, toties ab ejus litteraria ſupellectile quaeſitiſsimis opibus certior & locupletior factus. Adhuc nôſtra, Petre, micabat in herba meſsis, & jam pridem cariſsimus eſſe coeperas ampliſsimo Procuratori regio, Molaeo. Huic te ab adoleſcentia ſodalem, poſthaec amicum aſsiduiſsimum vidimus: & mox in ipſius benevolentiam per te ſumus adſumpti. quem ſubinde maximi Senatus principem, hodie verò ſimul & in aula regia Procancellarium Gallia ſuſpicit; pérque haec miſerrima

tempora, rebus intricatiſſimis, Aulam inter & Senatum, reipublicae pariter & monarchiae frena ſummo labore, ſummo periculo, ſumma conſtantia moderantem, admiratur. Interea, Petre, civis optimi partes agis; & ades amico laboranti, fatigatum excipis, alloquio foves, & conſilio ſolaris. digna fortunatiore ſeculo cura tam amicè pro rege, pro patria, próque ſalute publica conſpirantium, tot millibus in mutuam perniciem coeco furore conflictantibus. Petrum itaque noſtrum, agens adhuc regiam procurationem Molaeus, in eam muneris illius publici partem, quae circa regni tabularia verſatur, adſcivit. Ea verò tabularia, quae viſa quidem priùs & inſpecta Ioanni Tilio, Senatus Pariſienſis actuario, nec certè

perperam, fuerant, Puteanus adeo curioſè ac diligenter poſt Tilium vidit, collegit, deſcribſit, adnotavit, indicibus laborioſè confectis digeſſit, explicavit, ut jam in aperto ſint innumera, quae merſa tenebris ignorabantur, haud minimo rerum noſtrarum atque etiam externarum detrimento. Teſtis operae ſive induſtriae tanto proceſſu navatae Molaeus, amico benemerenti non defuit apud primarios regni miniſtros, quibus jam erat ipſe Puteanus per ſe notiſſimus, & facilè obtinuit, ut in conſilium Regis allectus honoraria penſione ſub Sillerio cancellario, dein etiam ampliore ſub Seguiero frueretur. Hoc vitae ſuaviſſimae honeſtiſſimaeque inſtituto Puteanus ſorte ſua contentus ſtudia ſic dividebat,

ut otii partem veterum ſcriptorum commentariis evolvendis, partem chartis negotiorum publicorum diſpiciendis; interea verò amicorum officiis ultro citróque colendis, horas in dies ſingulos impenderet. Hanc ſibi diſciplinam formaverat ad exemplum Thuani, quem inprimis obſervabat; & viciſſim Thuanus cognati ſui moribus & conſuetudine oblectabatur. Ego quidem certè in utriuſque amicitia ſic eram, ut quanto magis me Puteanus diligebat, quantóque magis ego Puteanum redamabam, tanto nos Thuanus ambos amabiliore vinculo conſtringeret. Sic annos egimus aliquammultos, noſtríque Thuani caſibus conſiliíſque ſive laetis ſive triſtibus individui, ſaepenumero etiam bonis & liquidis

coeli tempeſtatibus in Villabonio ſuo ruſticanti adhaeſimus, ſemper invicem adoptatiſſimi comites. Hiſtorias Thuanus horis ab Senatu ſubſecivis, & nonnunquam poëmata; Puteanus obſervationes ad regni reíque publicae negotia pertinentes condebat: ego, quae veterum ſcriptorum, ſed praeſertim Chriſtianorum ſcitis illuſtrandis ac reſtituendis olim profutura videbantur, componebam. Magna verò ſemper & promta nobiſcum fuit communitas omnium quae notabilia quiſque legendo, ſcribendo, maximè autem audiendo perceperat. Et quamplurimum certè Thuanus, qua dignitate ſive auctoritate pollebat, multis quotidie procerum frequentatus, in communitatem conferebat, nec ab eo diſceſſi-

mus unquam niſi doctiores aut meliores. ſic omnia caſtigabat examine ſapientiſſimo. Etenim tempora ſurrexerant feracia trutinarum in bono aequè atque in malo ſtultiſſimè vel improbiſſimè judicantium. Quae res viro malitiarum & calumniarum intolerantiſſimo, etſi vixdum ingredienti ſenectam, adeo diſplicuit, ut corporis & animi viribus adhuc integer, nemini quicquam, ſed ſibimetipſi gravis; accedente, ſub initium aegritudinis clade domeſtica, conjugis amatiſſimae obitu, poſt menſes inde novem ſtomachico ſcirro in gangraenam efferato deceſſerit. Haec vidimus oculis deploranda noſtris. nec fuit nobis aliud luctus ingentis ſolatium, quàm perpetua moeſtitiae praeſentia, quae dolorem con-

tinuum boni praeteriti recordatione nutriret. Parentes optimi liberos reliquerant, ſpem nobiliſſimae familiae continuandae, ſed aetatis adhuc tenellae. His teſtamento ſuo pater tutores dignitate ac probitate lectiſſimos providerat. extráque ordinem amica compellatione nobis ambobus filiorum per doctores valde probatos erudiendorum curam, ac praeterea ſuarum lucubrationum edendarum arbitrium mandaverat. Cognatis ſuis per utriuſque parentis deſiderium luctu geminato moeſtiſſimis tanto ſtudio támque aſſidua diligentia ſive cura Puteanus adfuit, ut orbitatis mala ſenſerint multo leviora. Nam & ipſorum inſtitutioni optimos adhibuit praeceptores ſive cuſtodes. ſplendorem domus ſervavit, auxit bibliothecam.

cam. Mox denique, conductis magni illius habitatoris aedibus hoſpes ita ſucceſſit, ut quaſi Thuano ſuffectus, exhiberet ſeſe amicis, eodem illo conclavi, quo Thuanum adire ſolebant, convenientibus & beatos manes officioſè colentibus. Eò ſe libentiſſimè conferebat Tumerius ille Boſſiſius, praecipuus Thuanorum pupillorum tutor, qui Puteano ab infantia prima, uti ſuprà memoravimus, adſtiterat, & juvenem magnis virtutibus clarum paterno more diligebat. ambo igitur, communicatis ordinandae tutelae conſiliis exſpectabant dum natu major Thuanus adoleſcentiae ſtudia concluderet. Interea miſſus ab Rege ad Ordines Hollandiae foederatos Boſſiſius, populis amicis, aliquid in religionis ſuae ſta-

tu reíque publicae regimine turbantibus, concordiam ſuaſurus, obeundae legationi profectionem adornabat; & factis ſuper ea re ſermonibus ſenſerat haud inſuave fore Puteano perluſtrare oculis regiones amplitudine commerciorum & militari diſciplina, ſed & Scaligeri nuper hoſpitio tumulóque nobiles. Itaque comitem abduxit ſibi, perſpectáque amici prudentia, quamdiu legationis ordo proceſſit, conſiliorum & ſecreti participem habuit. Hujuſce autem peregrinationis occaſione Puteanus Hugonem Grotium, Danielem Heinſium, & alios eruditionis gloria celebres amicitiae foedere ſibi devinxit; notitia nominis & fama ſui conciliatrice. Grotium quidem, merito jam ſuo commendatiſſimum,

quem diſſidia quarundam è Batavis civitatum traxerant in partes Barneveldii, Boſsiſius ſecundum mandata regia ſalvo Barneveldio partium duce, ſalvum & incolumem cupiebat. Verùm, Barneveldio criminationibus oppreſſo, Grotio Barneveldianae cauſae nexibus intricato, factio praepotens utrumque damnavit; ac paulò poſt reditum Boſsiſii Barneveldio caput abſtulit, Grotio libertatem. Puteanum reducem amici excepêre confertim gratulantes precantéſque omnia fauſta felicia fortunata. Biennio pòſt, mortuo Franciſco Pithoeo, Auguſtobonam Tricaſsium regio diplomate miſſus eſt, repetitum & recognitum chartas ad jura regia pertinentes, quae penes Pithoeum illum Petri fratrem, etiam rerum noſtra-

rum externarúmque bene peritum, depoſitae fuerant pro finibus regundis conſtituendíſque limitibus agrorum, de quibus erant inter Regem & finitimos Principes haud levis momenti controverſiae. Amico ad amici heredes intranti patuit tablinum, & exhibita omnis chartea ſupellex. bona fide cuncta perſcrutatus, confecit repertorum indices, & quicquid erat regii ſive publici, permittentibus defuncti cognatis abſportari Lutetiam juſſit ad Regium Procuratorem, ab eóque ſibi & heredibus Pithoei cautiones dari curavit. Anno ſequenti exortis ſuper Arverniae comitatu, ſupérque Turris baronatu quaeſtionibus, ad regia jura pernoſcenda viſum eſt negotia publica miniſtrantibus inſpici veteres tabulas,

quas in arce Mercurolina ſervari ſciebant, eò miſſus à Rege Puteanus, qua ſolebat induſtria diligentiáque cuncta pervidit, collegit, & in Regium tabularium retulit, explicatis, quae pro Rege Regnóque juſtiſſima & firmiſſima comperit, inſtrumentis, teſtimoniis, argumentis. Vix elabſo poſthaec triennio, majus obtigit negotium, finitimis ad Moſam & Moſellam populis adverſus Franciae jura contra veterum tabularum fidem, contráque longiſſimi temporis poſſeſſionem nova molientibus, multa etiam in dies circa conditiones agrorum, ſive communium ſive ambiguorum, inverecundè tentantibus. Ea res Belgii principatum, Burgundiae, Barri, Bullionii ducatus pertingebat, nec erat mediocri-

ter examinanda. Itaque delegati ab Rege tres viri, Cardinus Lebrettus, Ioannes Delonius Lorma, Petrus Puteanus. Huic, etſi per delegationis ordinem poſtremo, primas tamen induſtriae ſive laboris partes collegae conceſſerant. Adeo, cuncta quae ad rem facere videbantur ſuis ipſe librata ponderibus expendit atque digeſſit, ut quid fundorum, quídve agrorum; quid oppidorum, quídve civitatum de Lotaringia regali, aetatibus anteactis vel ambitioſè extortum, vel callidè ſubtractum, vel negligenter omiſſum, ſive perfidè confuſum fuerat, id quo jure quibus indiciis aut argumentis recuperari, defendi, retineri quiret ac deberet, maniſeſtiſſimum fecerit. Recuperatoribus ad Regem reverſis dato conſilio,

Lebrettus orationem habuit plenam ſolidi ac generoſi ſpiritus, ſuámque & collegarum operam regiarum curarum miniſtris approbavit. Ab eo tempore Puteanus in Vrbe manſit, niſi quòd brevibus interdum excurſionibus in Camplatroſum Molaei ſui praetorium rebus prolatis ruſticandi gratia ſecedebat, unde mox recurreret ad nota vitae officia privatae; per quae nihilominus publicis utilitatibus ita ſerviebat, ut pe- r[illegible]eum perpetuus eſſe videretur in p[illegible]i perſona magiſtratus. Haec vero tunc fuit aevi condicio. Excuſſo de regni gubernaculis Concinio nebulone, obtritis nimio Coneſtabilitatis pondere Luinaeis, ſubrepſerat inuſitatae audaciae genius, qui Rege non improbante, aut non

ſentiente, deſpecto pegmate ſuggeſtus epiſcopalis, non regiae quidem, ſed infinitae potentiae clavum arripuit, tenuítque imperioſiſſimè, uſque dum per annos ampliùs viginti orbe Chriſtiano furoribus internecinis quaſſato, Gallia partim dirupta luxu, partim emaciata tributis, ipſe curis ingentibus exeſus, cadaveroſa tabe dilaberetur. Magna praeſtitit, ſed quicquid erat in omni Gallia roboris prodegit, & propoſitum facinus, quamvis immane, admiſtione virtutis adumbrari, ſummam credidit eſſe virtutem. Galliae proceres aut cohibuit carcere, aut bellicis adverſus finitimos expeditionibus diſtinuit, ut aula vacua ſolus Regem haberet. Haud ignoravit Puteani nomen, nec parum ſibi fore ad gloriam ratus

ratus ſi laudatiſſimo viro uteretur, ſtudiorum ejus fautor haberi, & honoraria quotannis praeſtari voluit. admiſit ad colloquium, conſuluit per epiſtolas, pérque ſuos, ſuper negotiorum caſibus plerumque veris, aliquando etiam quaeſitis in ſpeciem figuris; nunquam tamen frivolis aut vanis, ſed regimini populorum ad caecos & ſubitos eventus exempla ſive praecepta daturis. Fecit huic genio Puteanus quod optimi viri fuit. reſpondit, ſive conſuluit quod rectum honeſtúmque eſſe exiſtimavit. nihil adulatus eſt unquam, nihil ementitus. Sciebat, vim illam, fati alicujus fuiſſe neceſſitatem. ea verò quae auderet facerétve, non fuiſſe auſuram neque facturam, ſi Chriſtiani principes, quae ſuarum erant par-

tium, ſciſſent ſive feciſſent. Hujuſce igitur aevi curriculo Puteanus quamplurima condidit pro negotiis à primario miniſtro propoſitis, plurima etiam quae per ſe ipſe arbitratu ſuo tractanda ſuſceperat. Quae quoniam de rebus noſtris, pro Gallia ſcilicet, conſcribebat, ut faciliùs & promtiùs ab noſtris hominibus perciperentur, ſermone Gallico cudi & concipi oportere cenſuit, Latinae linguae, jamdiu ſepultae, ac de veteribus monumentis excitandae, vocabulis peregrinis ſegniter ferientibus aures minùs aſſuetas. Atque hoc, de publico ſive communi omnium gentium ſenſu. Et memini me, cùm inter nos hac de re ſermones haberemus, amici conſilium valde probantem, adjeciſſe, malè de ingenio ſuo meritos

mihi videri, qui doctrinae adfectatione res hodiernas & vernaculas priſco ritu, aut Romano ſermone tractarent. etenim facere ſe ſibimetipſis & aliis gratuitò moleſtos atque difficiles. pravum invaluiſſe tam in Eccleſia quàm in Senatu morem. patronos & concionatores adductis idiomate Graeco Latinóve ſententiis orationes ſuas corrumpere. teſſellati operis lenocinio eloquentiae legitimae gratiam frangi, vires debilitari; auditorum, ſive judicum attentionem docilitatémque apud ignaros plerumque linguarum vaneſcere: denique, maximos oratores, quorum ſcripta legendo non ſatiamur, Graecos ſive Latinos, actionibus ſuis nihil unquam ſermonis exotici miſcuiſſe. hoc tantùm epiſtolis indulſiſſe La-

tinos. at Graecos, ne quidem epiſtolis. Plutarchum, facta mentione verſuum Horatianorum de magnificentia Luculli, mentem edidiſſe poëtae fideliter; Latina verba diligentiſſimè ſuppreſſiſſe. Vna fortean Romanenſibus hodie nobis excuſatio proſit, quod linguam uſurpantes de Graeca ſimul & Latina prognatam, noſtrorum ſcilicet auctorum recordatione verba etiam ipſiſſima citantes, non videmur ingrati. Quantula pars exercitationum, quae vehemens animis incutiant Puteani deſiderium noſtris! Iure optimo tanti viri laboribus Gallia gloriabitur, & erit quod maximas nobis gratias habeant exteri, quibus eſt humanae vitae ſapienter inſtituendae cura. Puteani prudentiam, aequitatem, conſtan-

tiam declarant Conſiderationes , Commentarii, Conſilia varia , ſive Reſponſa magnis de rebus elaborata. quantaeque apud probos & graves eſſe debeant exſpectationis , oſtendunt edita nuper de Libertatibus Eccleſiae Gallicanae volumina, quae jam veritatis hoſtibus tantum attulêre faſtidii nauſeaéque. Horum calumnias ipſe Puteanus proprio volumine confutavit. quod ſuo quidem ordine apparebit, cum ceteris, quorum editionem fratri praeſtantiſſimo commiſit. Penes eum ſunt etiam diplomata, declarationes, edicta , ſuper arduis lucubrata negotiis ; quibuſcum unà ſervantur autographa pittacia , epiſtolae variae , quas ad Puteanum ſcriptitabant proceres manus Richelii , Seguieri , Bulionis &

Ioſephi, illius nimirum Capucini. Earum verò nonnullis ſuperſcribitur & Gothofredi nomen, talium etiam rerum ſcientiſſimi, quem noſter ſibi ſocium adhibuerat eruderandis illis occiduae ſenectae chartis, optimum & ſpectatae fidei virum, etſi minimè ſtilo pollentem. Hoc praeſtabat Puteanus; proptereáque omnia quae labore ac ſtudio communi conquiſita & congeſta fuerant, ſolus digerebat & mandabat litteris. Porro, dicendi ſcribendíque genere utebatur promto & facili; hoc praeſertim accurans, ſignificanter & dilucidè proferre quae ſentiret. neque alium certè amant characterem monita ſive reſponſa prudentium. docent, explicant, oſtendunt; rationibus, exemplis, ipſarúmque adeo rerum mo-

mentis, aut negotiorum inſtrumentis: rhetorum tropos & ſchemata non admittunt. ceterùm, idiomatis Gallici nitorem minimè reſpuebat: & eſſe partem ſeculi noſtri non ingloriam cenſebat hominum illud genus elegans facetum diſertúmque. Mirificè autem capiebatur eruditis urbanitatum ſalibus & aculeis, ſi non impiis, neque ad calumnias aut maledicta probroſis. Amicos fide perpetua conſervavit, neque eſt ab ullo divulſus unquam, niſi morte. ac mortui quidem cineres & reliquias, puta liberos, agnatos, adfines, benigno proſecutus eſt adfectu. Gratiam magnatum nunquam ambitiosè aut importunè eſt adſectatus; oblatam ſtudiosè ac reverenter coluit, qua nimirum prodeſſet quamplurimis

opem ſuam poſcentibus, magis quàm ſibi. Nullis unquam ſe partibus addixit; tantae compos aequabilitatis, ut conſtantia ſua, venientes ad ſe quandoque partium ferventiſſimos, tacito intra ſinum ipſorum pudore aut frigore feriret. legitimae ſemper majeſtatis ac publicae tranquillitatis amantiſſimus. Oderat rixas & jurgia, praeſertímque inter eruditos. ac turpe eſſe dicebat, viros indubitatè doctos canina rabie famam viciſſim ſuam rodere ac lacerare ſcriptis trucibus, tanquam viliſſimos de plebe cerdones in angiportis ſeſe luto ac ſtercore conſpurcantes. Aiebat, rem eſſe omnium peſſimam, hominis improbi litteraturam. ſententiae bonis ſemel rationibus ſtabilitae, ſi quis factioſa contumacia contradiceret,

ceret, prudentis eſſe non altercari, ſed poſteritatis arbitrio rem integram permittere. Vir attentiſſimus operi, etiam cùm otiari modica relaxatione videbatur, aliquid animo providebat quod ad publicam faceret utilitatem. adeóque laboribus etiam alienis adfavebat, ut quemque, qua dote valere judicaret, ea prodeſſe aliis ne pigeret, hortaretur: aut ſi quid ad ſtudia litterarum, ſive ad rerum gerendarum peritiam, geſtarúmve notitiam, boni commatis apud heredes imperitos premi ſentiret, id pretio vel precibus eruebat, ut fieret olim publici juris. Ea cura ſervavit epiſtolas Foxii, itémque Oſſati. de quibus certè ſcriptionibus hoc veriſſimè praedicabitur, poſt illam Pauli Sarpii Tridentinam, nihil exſtare,

unde queant aulae Romanae artes pernoſci clariùs aut certiùs. Servavit etiam Cambdeni partem alteram Elizabethae Britannorum reginae, quam auctor ſe vivo edere non auſus, penes Puteanum deponi mandaverat. Collegit & Ioſephi Scaligeri Epiſtolas, multiplici eruditione locupletiſſimas, ejuſdémque Opuſcula inſigni praefatione Caſauboni maximo Thuano nuncupata. Praeterea ſervavit Nicolai Fabri Pereſcii Senatoris Aquenſis Epiſtolarum ad ſe atque ad Iacobum fratrem, volumina duo grandia, quibus continentur ad Naturalis hiſtoriae, totiúſque litteraturae notitiam obſervationes elegantiſſimae. Eadémque opera Puteanus ipſum Pereſcium, atque de Iuſſionum regiarum quatuor viris Anto-

nium Lomenium Villoclarium, artiſſimo ſecum invicem amicitiae nexu conjunctos, fecit ut enixè conſpirarent, qua pollebant gratia, requirendis undique arcanae memoriae chartis, curioſa rerum noſtrarum externarúmque ſtudia valde juvantibus. Habentur illic Principum & Legatorum, viciſsímque ad Principes & Legatos litterae, Inſtructiones, Mandata, & hujuſcemodi alia innumera: quibus odorandis veſtigandíſque mira fuit Lomenii Pereſciíque ſagacitas, magna felicitas ſive auctoritas obtinendis; maxima verò Puteani ſedulitas & induſtria ſingulis ordine ác tempore diſtinguendis & componendis. Exinde autem vidimus inſtauratam bibliothecam voluminum ampliùs quadringentorum, quae Lo-

menius noſter ſumptu liberali, multo labore tranſcripta, magnificóque opere compacta, ſuis aedibus officioſiſſimè habuit ad varios amicorum uſus. Eo decedente, ex aerario regio librarum millibus quadraginta perſolutis, regiam planè ſupellectilem Luparanis armariis cuſtodiri placuit, donec accederet bibliothecae omnium toto orbe bibliothecarum copioſiſſimae, unde eſt tandem in Regiarum Chartarum theſaurum comportata. Hoc etiam verò Puteanum permultis beatiorem fuiſſe exiſtimo, quòd ſerò ſe permiſit typographis, quorum opera praefeſtinata poenitentiam nonnullis induxit, & conſervavit ridenda ſenibus cunabula. Iam in limine ſenectutis erat, cùm editioni Libertatum Eccleſiae Gallicanae manus primas

admovit. Opus antea tentatum pluribus, nulli feliciùs ceſſerat, quàm Petro Pithoeo. Is tantùm capita quaedam tribus & octoginta conſtituerat articulis, ſummo jùdicio formatis. Ad ea igitur capita Puteanus collimavit, conjecítque probationes, ex ampliſſimis undique tribunalibus & variis Eccleſiarum chartulariis, atque ipſo Chartarum regni Theſauro collectas, unde, communi gentium ſenſu, continuatóque uſu, decreta manaverant, quae Pithoeanas poſitiones conſtabilirent. Hoc una quidem & altera editione praeſtitit. ac ſubinde repetita lectione adjecit ad omnes ſingulatim articulos commentaria, doctiſſimas obſervationes, quae citatis variorum ſcriptorum teſtimoniis Gallicani juris aequitatem con-

firmant. Adverſus haec tanti momenti ſtudia, quae pro Regis & Cleri dignitate certabant, Clerus ipſe Gallicanus, inſtigantibus aulae tranſalpinae mancipiis, jam commotior accendi atque inflammari coeperat. & atrocia fulguraſſet, ſi non ipſa vitae ſanctiſſimè tranſactae quaſi majeſtas texiſſet auctorem. Durat operi fama, geminata jam editione diſcurrens, durabítque olim venientibus ſeculis ubicumque ſapientia vigebit. Sed nihilominus aegrè Puteanus attentatum facinus diſſimulavit. Tam neminem ſenſerat injuriae regni legibus illatae vindicem. Ergo hîc incipiunt perpetuò triſtia. Franciſci Thuani exitium indigniſſimè tulit, atque inter triſtiſſima ſua duxit. Iuvenis minimè ſontis memo-

riam, cognitione diſpuncta, purgari ac redintegrari debere: rem aequiſſimam non abſque injuria differri, magnis rationibus peculiari volumine demonſtravit. Interdum erumpebant imo de pectore viri cordatiſſimi graves querelae. Multiplicibus triumphis ampliſſimas Gallicanae majeſtatis facultates decoqui. Sub triumphali conturbatore annos aliquando cenſeri, forſitan viginti, beatos & locupletes: poſthaec verò, ſequente peſſimo neceſſariae fraudationis conſilio, facilè extitiſſe publicos praedatores; & ſubinde concurſum populorum repoſcentium ablata, rapta, extorta. Plus auri argentíque fuiſſe corraſum poſtremo vicennio tributis, quàm ſeculis antecedentibus univerſim cunctis; nec impenſum militari-

bus ſtipendiis, niſi tantillum; milites ad omne nefas auctoratos: ducentas plus minus in Vrbe grypotigres, nuper omnium egenas, hodie regifico luxu diſſolutas, monſtroſa rapacitatẽ ſanctam aliàs Regii nominis poteſtatem ceteris urbibus, oppidis, agris horribilem feciſſe paſſim. Sic Vrbem ipſam, ſic provincias, in apertam rabiem converſas. Et miramur annoſiſſimam orbe toto monarchiam delirare, deſipere, ineptire? aut tale quid pati, quod paſſam fuiſſe Romanam legimus? An miſereſcimus toties ac tandiu repueraſcentis! Nimirum, continuante fraudatorum impunitate atque licentia, gaza regia repentè exaruit, & fides publica collabi viſa; & abrupta ſive negata ſubſidiorum etiam tole-
rabi-

rabilium praeſtatione, rerum gerendarum nervi omnes ubique ſuccisi: Quartus nunc agitur annus cùm haec deplorare & lamentari videbam Lutetiae Puteanum, jam aegreſcentem. Aderam amico: & præcipiebamus animo quae ſubinde acciderunt triſtiora. Vir optimus, communis amici noſtri ſortem miſeratus, quòd, rebus adeo turbatis afflictíſque, teneret in Senatu locum tot ſententiarum converſionibus ac difficultatibus obnoxium, felices affirmabat, quibus latebras Deus honeſtas conceſſerat. grates Numini maximas habebat, quòd eo ſe vitae genere continuiſſet. Atque hoc impreſſerat cordi ſuo tantopere, ut adjungi conſilio Legatis ad pacem publicam ab Rege miſſis, quod poterat etiam ab modeſtiſſimis

H

ambitioſè expeti, oblatum ſibi repetitis magnatum obteſtationibus munus, defugerit, ipſíſque etiam Legatis amicè atque enixè ſibi hoc ab ipſo officium poſtulantibus reſtiterit pertinaciter, atque in Gothofredum ſuum tranſmiſerit. Annuit tamen, & fideliter praeſtitit, ut ſuper accidentibus negotiorum quaeſtionibus conſultus, ex animi ſui ſententia reſponderet; inſtrumenta, teſtimonia, exempla ſubminiſtraret. Mentis argutiſſimae ſenex, praeſagiebat fruſtra illos ire, quum exirent domo. nec obſcurè per litteras antè ſignificaverat amicis. Etenim ſatis intelligebat, illâ Regis adhuc aetatulâ, novis regni miniſtris, aequè ac deceſſoribus ſuis neceſſarias eſſe pacis differendae moras, aut evitandae, rationes. Inter

haec Puteanus noſter conſenuit. fatigatum nimia ſcribendi , legendi, meditandi contentione corpus, impar animi viribus, hoſpitem admonuit migrationis. Hanc ſibi tota vita ſua proſpexerat. quare, nihil quicquam monitu confuſus; placidè cuncta diſpoſuit. fratrem à teneris annis optimè ſemper abſque ulla offenſa dilectum inſtituit rerum omnium ſuarum heredem, & amicis intimè commendatum hortatus eſt, ne ſolitudine triſtiore maceraretur , adhiberet ſibi Iſmaëlem Bullialdum aſtronomiae ſimul & litteraturae exquiſitioris apprimè gnarum, jam longa ſatis aſſuetudine perſpectum, cujus familiaritate ſuaviter uteretur. Eodem teſtamento paucula , quae petitu ejus delineaveram, adſcribi tumulo man-

davit. Ab ſeſquianno priùs quàm abiret, litteras ad me dabat frequentes, mentis indices Deo Chriſtóque domino devotiſſimae. intérque officia reſcribendi, ſic adficiebar amici pietate, ut agi mecum inclementiùs arbitrarer, ſi provectior aetate non anteirem, aut non ſaltem conſequerer abeuntem, ne ſuperſtes animae quae me totum animabat, iners ego hîc prae taedio moeſtitiáque ignavus jacerem. & continuò tanquam ad me reverſus, memetipſum redarguebam erroris, qui divina reſpexiſſem ſicut humana: cùm illa ſint ab iſtis omnino diverſa. etenim facilè concipi divinis humana. contrà, non item. ſed caritate Chriſtiana, cujus aeterna eſt utilitas, receptum coelo Puteanum ſic apud Deum in Chriſto vivere,

ut Chriſtianus ego, tantiſper adhuc agens in terris, vivam nihilo ſecius cum Puteano apud Deum in Chriſto. Hac verò nos invicem ſapientia ſolabamur, & Cypriani ad Cornelium ſuum ſcribentis admonitu, paciſcebar ab amico, ſemiſecularis amicitiae jure, caritate mutua, reciprocas ad Domini noſtri miſericordiam preces. Hoc agebat epiſtolae meae ad Puteanum ſupremae ſtilus; & quo momento curſori perferendae litterae tradebantur, vir immortali gloria digniſſimus animam Domino Servatori mandabat, ſacris Catholicis procuratam per ſacerdotem optimum, Curatorem Eccleſiae Sancti Coſmae nomini ſacratae. Ea ſcilicet Vrbis regione habitabat in aedibus Regiae Bibliothecae ſervandae com-

paratis , quas ego vicennio plus habitaveram , cùm Senatorii muneris hoc Mediomatricum Parlamento ſtudioſiùs obeundi conſilium cepi , ſimul & Bibliothecae regiae Curam tradidi viris amiciſſimis poſſidendam ſicut à me fuerat decedente Caſaubono poſſeſſa. Huic verò maximum ornamentum contulêre invectâ ſuâ ipſorum bibliothecâ ſumptu elegantiſſimo ſplendidâ, aemulâ Thuaneae. Etenim capit voluminum typis editorum millia novem , omnes auctorum cujuſque linguae , cujuſcumque diſciplinae, non aevi illius duntaxat veteris, ſed etiam deſcendentium in haec uſque tempora ſeculorum ſelectiſſimas editiones. Praeterea vetuſtiſſimos codices manuſcriptos CCC, Memorialium ſeptingenta & ſexa-

ginta quinque volumina, ſcripta manu plerumque ipſius Puteani. Iuvat haec etiam minuta perſequi. Quanto videlicet honeſtiùs, quàm condere annalibus caedes & bella, urbes everſas, oppida capta, provincias deſolatas. Et quàm putidum Chriſtiano tantorum ſcelerum duces honoribus adfici, per eóſque geſta poſteris tradi, ut nobiles & generoſi & magnanimi praedicentur qui tantis mactant innocentiſſimos malis. Abeant illi cum ſuis illuc, quò nemo pius ire non exhorrebit. At recta nobis & pia mente liceat de noſtro Puteano bene ſperantibus, bene de bonis omnibus merito, bene adprecari. Vitam ejus me ſcripturum pollicebar. & ſum ego polliciti reus, ſi non praeſtiterim hactenus, qui menſes & annos

ejus ab infante ad nonum & ſexageſimum perduxerim. Supereſt tamen, quas poſteritati reliquias dicavit, adnumerare cumulatiùs. hoc itaque deinceps catalogo citabuntur, & univerſa defuncti vita, per ipſum ſcilicet, pérque res ab ipſo geſtas replicabitur. Occurrit ecce inprimis, Hiſtoria damnationis Templariorum. Sequitur, Hiſtoria ſchiſmatis eccleſiaſtici ab anno 1378, ad 1428.

III. Hiſtoria pragmaticae ſanctionis Biturigibus conditae, an. 1439. quemadmodum ſtabilita, obſervata: quibus à Rom. Pontifice artibus oppugnata.

IV. De Concordatis Bononiae inter Leonem X. & Franciſcum I. quo pacto ſtabilita & uſitata.

V. Ordinationes Antiſtitum Eccleſiae.

VI. Controverſia inter Pontificem & Imperatorem ſuper Inveſtituris.

VII. Quas ob cauſas Concilium Tridentinum Gallia non receperit. & quare ſit repudianda Cleri Gallicani ſuper hac re ſententia promulgata anno 1615.

VIII. Programma ſub nomine Epiſcopi Carnutenſis in cauſa Cenſurae per eum propoſitae ſub nomine Cleri Gallicani, anno 1626.

IX. Hiſtoria perſonarum ſex & viginti, Regio ſive Principali favore potentium. Volum. IIII.

X. De regis Franciae jure ad regnum Navarrae adverſus Hiſp.

XI. De regis Franciae jure ad regnum Arrag.

XII. De regis Franciae jure in Rempublicam Genuenſem.

XIII. Pro regno Franciae & quibuſ-

dam provinciis adverſus Anglos.

XIV. De Lege Salica.

XV. De jure confiſcandi in crimine Majeſtatis.

XVI. De regis Franciae jure ad regnum Angliae.

XVII. De jure regis Franciae ad regnum Caſtellae.

XVIII. De regis Franciae jure adverſus Sabaudum, circa Foſſiniacum, Nicæam, & Coniacum.

XIX. De regis Franciae jure in Comitatu Flandriae, & de pactis Madriti, Cameraci & Crepiaci.

XX. Regis Franciae dominium alienari non poſſe.

XXI. De regis Franciae jure in Comitatu Arteſiano.

XXII. De regis Franciae jure ad Inſulam Flandr. Duacum & Orchias.

XXIII. De regis Franciae jure ad Tornacum, Santamandũ & Mortaniam.

XXIV. De Comitatu Sancti Pauli. Vnde moveat.

XXV. De regis Franciae jure ad regnum Burgundiae adverſus Imp. Germ. &, Legitimo titulo poſſideri agrum Lugdunenſem, Delphinatum, Provinciam, Breſciam &c.

XXVI. An ſit praeſcriptioni locus inter ſupremae poteſtatis Principes.

XXVII. Pro rege Franciae, adverſus Lotaringiae Ducem, ſuper Ducatu Andegavenſi.

XXIIX. De controverſia inter Franciae regem, & Lotaringiae Ducem ſuper Comitatu Provinciae, Forcalqueri & agris adjacentibus.

XXIX. De regis Franciae jure ſuper

Avenione, & Comitatu Venaſcinenſi.

XXX. Vnde moveat Principatus Aurangiae.

XXXI. Confutatio quarumdam objectionum in cauſa Ducatus Britanniae.

XXXII. Pro Rege Franciae adverſus Hiſpanum, in cauſa Ducatus Burgundiae.

XXXIII. De Infantium Franciae Apanagiis.

XXXIV. Iura Regis Franciae ad Comitatum Altiſiodorenſem, Matiſconenſem, & Barrenſem Seq.

XXXV. Conſideratio pactorum Atrebati, ann. 1435. & Peronae, an. 1468.

XXXVI. De Regis Franciae jure in Comitatu Auxonenſi, & Sanlaurentij dominio.

XXXVII. De Ducatu Guiſae.

XXXVIII. Inſtrumenta probationum in cauſa Regis Franciae pro regionibus Epiſcopatuum Mediomatricum, Tulli & Veroduni.

XXXIX. Beneficentiae, ſive donationes regum Franciae Pontificibus Romanis.

XL. Apologia pro libris Hiſtoriarum Iacobi Auguſti Thuani.

XLI. De Regentibus Franciae, & quando Reges Franciae cenſeantur annis maiores.

XLII. De quaeſtione habenda ſuper vita, & moribus eorum qui ab Regibus proponuntur ad Epiſcopatus & Abbat.

XLIII. De contributionibus Eccleſiaſticis ad ſubſidia regia rebus urgentibus.

XLIV. Pacis ineundae rationes in-

ter Franciae Regem, & Principes vicinos in conventu Colonienſi.

XLV. Argumenta, ſive rationes, purgandae memoriae Franciſci Aug. Thuani.

XLVI. De regis Franciae jure ad Principatum Mediolanenſem.

XLVII. Commentaria in Petri Pithoei librum de Libertatibus Eccleſiae Gallicanae.

XLIIX. De Interdictis Eccleſiaſticis.

XLIX. De Parlamento Pariſienſi.

L. Obſervationes & Exempla juriſdictionis regiorum magiſtratuum in Epiſcopos, & alios clericos criminis poſtulatos.

LI. Documenta varia pro jure dominico Franciae in varias Vrbes & Provincias.

LII. De jure Advenatus in Franc. An locum habeat adverſus Prin-

cipes extraneos, quibus eſt juriſdictio ſuprema. & An Francigenis parentibus competat portio hereditatis adverſus parentes non Francigenas excluſo rege.

LIII. Hiſtoria cognitionnm criminalium adverſus Ioannem Alençonii Ducem, & Borbonium Coneſtabilem, & Mareſchallum Biezium.

LIV. Hiſtoria controverſiae inter Bonifacium Pontif. VIII. & Regem Philippum Pulcrum. ex ipſiſſimis Actis ab ann. 1296. ad an. 1305. & ſub Pontificatu Clementis V. volum. II.

LV. Conſultationes, Epiſtolae, & hujuſmodi alia ad Concilium Tridentinum ſpectantia, quorum pleraque hactenus non edita.

Indicavi titulos tantùm & lemmata; qui volumina conſpexerit, mirabi-

tur, talia tanta ſcribſiſſe hominem tot amicis quotidie vacantem. Hemicranicam valetudinem, vitae caelibis aequabilitate ac lenitate abſtemius toleravit uſque, donec alvi profluvio, ſeptimeſtris languor, aſthma cum febre, menſis unus, anni novem ſupra ſexaginta, corpus exanimum tradidere ſepulcro. Exſequias funeris ad aedem Sancti Coſmae proſecuti ſunt parentes, amici, conventu luctúque maximo. Exceſſit omnem doloris modum etiam cognationis neceſſitudini datum, Iacobi Auguſti Thuani, primae poſt ampliſſimam in Senatu Pariſienſi curiae Praeſidis, pietas & animus erga Puteani memoriam gratiſſimus. adeo quem à pupillo patris vice habuit & coluit, huncce ademtum tanquam filius parentem

rentem ſuſpirat atque deſiderat. Habet doloris in ſolidum participes illuſtriſſimos, adfinitatis ſive cognationis praerogativa commemorandos, Iacobum Daneſium, quondam in Rationum regiarum curia Praeſidem, nunc epiſcopum Tolonenſem; & Arnaldum Pontacum in Senatu Burdigalenſi Praeſidem, ſororios ſuos. Et Daneſius quidem, Puteanum biduo priùs quàm decederet, Chriſtianis adjutans conſolánſque alloquiis, perſpexerat in amico ſpem optimam, fidem rectiſſimam, mentem ad Dominum toto corde geſtientem. Luxêre Puteanum praeſtantiſſimi Regiae procurationis Advocati Audomarus Talonius & Hieronymus Bignonius. Atque ut uno tandem verbo cuncta complectar; optimum virum, optimum civem,

optimum Regis conſiliarium, quotquot ubique ſunt optimates luxêre. Tumulo frater titulum poſuit mœſtiſſimus. Tituli autem verba ſunt haec.
PETRVS PVTEANVS CLAVDII PVTEANI SENATORIS AMPLISSIMI FILIVS EX CLAVDIA SANGVINA FILIA BARBARAE THVANAE, QVAE FVIT CHRISTOPHORI THVANI SENATVS PRINCIPIS SOROR, CLEMENTIS PVTEANI IVRIS AEVO SVO PERITISSIMI NEPOS. OPTIMIS PARENTIBVS OPTIME RESPONDIT: DOCTRINA PIETATE PRVDENTIA FIDE GRAVITATE CONSTANTIA PROBATISSIMVS: REGI A CONSILIIS ET BIBLIOTHECIS: IMPERII GALLICANI IVRA, EXEMPLIS SVMMO LABORE PROVISIS, REM PVBLICAM

MINISTRANTIBVS CONSVLTISSIME SVGGESSIT: PROCERVM ET CLARISSIMORVM VBIQVE VIRORVM OFFICIIS, OBSERVANTIA, FREQVENTI CONVENTV CELEBRATISSIMVS. VIXIT ANNOS SEXAGINTA NOVEM, MENSEM VNVM. HIC SITVS XIX. CAL. IAN. AN. CHR. M. DCLII. IMMORTALIS PER CHRISTVM VITAE GRATIAM EXSPECTAT. IACOBVS PVTEANVS FRATERNAE GLORIAE CONSORS, ORBITATIS SVAE MOESTITIAM, NICOLAI RIGALTII VERBIS AMICITIAE VETERIS HONOREM TESTANTIBVS, QVANTO PER CHRISTIANAE MODESTIAE PRAECEPTA FAS EST SOLATIO CONSOLATVR.

Calentibus adhuc exſequiarum lacrimis epicedia ſcripſêre, amica ſimul & vera, fratres omnifariam doctiſſimi, Henricus & Hadrianus Valeſii. Et adventare audio Lud. Guezii Balzacii, Nicolai Heinſii Dan. F. Caroli Feramuſii, Petri Halleii, Caroli Ogerii, & aliorum, digna tanti viri meritis, digniſſima famae clariſſimae ſcriptoribus officia: quibus ego ſpectandis legendíſque locum cedo libens quaerenti efficaciora in luctu, quo nemini cedam, conſilia. Scrib. Tulli Leucor. Calend. Martiis Anni M. DC. LII.

# PVTEANORVM MEMORIA

DISERTIS PER VIROS CLARISSIMOS ENCOMIIS CELEBRATA.

# HENRICI VALESII ORATIO IN OBITVM PETRI PVTEANI VIRI CLARISSIMI.

PRÆCLARE à veteribus inſtitutum accepimus (Auditores ornatiſſimi) ut quæ quiſque in vita maximè adamaſſet, iiſdem etiam poſt mortem ornamentis funeris donaretur. Quod etiam à principibus Poëtarum in Patrocli & Pallantis exequiis obſervatum videmus, quos exuviis mili-

taribus, armiſque inſtructos, à ſuis in rogum inferri finxerunt. Itaque cùm PETRVS PVTEANVS quandiu in vivis fuit, ſingulari ſemper amore literas proſecutus ſit, nec ſolùm hereditario quodam, ſed proprio ac peculiari affectu ſtudioſos omnes fuerit amplexus, non dolore nec lacrimis, quæ caſſa ſunt & inania, ſed literarum quas coluit, immortalibus monumentis ac titulis poſt obitum decorandus videtur. Ac ceteris quidem, quibus major eloquentiæ copia, aut facultas carminum ſuppetit, curæ erit laudes ejus Viri partim vincta, partim ſoluta numeris oratione prædicare. Neque enim fas eſt nomen tanti Viri, & de literis ac de patria optimè meriti, abſque ullo Muſarum præco-

nio inhonoratum tranſmittere. Me verò non ambitio laudis, nec fiducia facundiæ, à qua me adhuc remotiſſimum eſſe & profiteor & ſentio, ſed ſola beneficiorum illius recordatio ad dicendum impellit. Iuvat optimo Viro, & de me privatim bene merito has laudis inferias mittere, & hanc ſeram licèt ac triſtem, piam tamen nobíſque honeſtam imprimis, nec ipſi, ut arbitror, ingratam mortuo gratiam referre. Itaque hoc à vobis poſtulo (Auditores ornatiſſimi) ut hoc grati animi noſtri obſequium æqui boníque conſulere, & quantum nobis deeſt aut ingenii, aut eloquentiæ, tantum favore veſtro, ac benevolentia ſupplere velitis.

Ac principio quidem cogitanti

mihi, & univerſas ſimul Petri Puteani virtutes animo perluſtranti, & quandam velut imaginem vitæ ipſius ob oculos proponere inſtituenti, non mediocris occurrit difficultas ac perturbatio, undenam potiſſimùm orationis noſtræ ducamus exordium. Hinc ſe prudentia ingerit atque ſapientia, quibus ille Vir tantùm præſtitit, ut omnium conſenſu ſummis quibuſque muneribus, Regíſque ipſius conſiliis digniſſimus haberetur. Illinc morum integritas, ac vitæ innocentia non dicam ſine noxa, ſed ſine ullius querela tranſactæ. hinc ſingularis temperantia nos ad ſe vocat: illinc animi magnitudo atque conſtantia, quâ veritatem atque intimos animi ſui ſenſus de Rep. coram Magnatibus ſemper liberè eſt

prolocutus. Nec ſe præteriri patitur beneficentia, quæ in illo Viro tam prolixa inerat, ut in hac tanta honeſtiſſimorum hominum multitudine vix ullus poſſit reperiri, qui non aliquo beneficio ei ſe devinctum eſſe fateatur. Tot igitur tantæque virtutes, ſeorſim ſingulæ & cum cura dicendæ, onerant potiùs dicentem quàm juvant. Atque ut in opiparo convivio exquiſitis dapibus referto ſingula propè fercula ſingulorum inſtar ſunt conviviorum, ſic in hoc argumento ſingulæ Petri Puteani virtutes juſtarum nobis orationum materiam ſubminiſtrant. Sed neſcio quomodo me quidem minimè invitum ad ſe allicit beata tranquillitas, quam cùm ille tantopere adamaverit, ac perpetuo quodam nexu ſibi

mancipaverit, propriam ac familiarem ipſius virtutem meritò poſſumus appellare. Itaque cùm ipſe hanc totius vitæ ſuæ quaſi fundamentum eſſe voluerit, non aliud nos ſermonis noſtri fundamentum ponere debemus, ſed hanc tanquam tabulam ſubſternentes, reliquarum deinde virtutum colores ad exprimendam vitæ illius imaginem illinere.

Magnum profectò & illuſtre exemplum tranquillioris vitæ his perturbatiſſimis temporibus extitiſſe mihi videtur Petrus Puteanus. Multi quidem antea Philoſophi multa in ſuis libris de tranquillitate animi præclarè ſcripſerunt, & ad eam omnibus votis, omníque animorum contentione adſpirarunt. Verùm unus propemodum hac ætate eam & opti-

optimè intellexiſſe, & feliciter aſſecutus eſſe Puteanus videtur. In quo tamen utrùm prudentior fuerit an felicior, equidem affirmare non poſſum. Nam quod à prima ſtatim adoleſcentia ad tranquillitatis amorem vehementer incitatus, eadémque per totum deinceps vitæ tempus potitus eſt, felicitati adſcribendum puto. Neque enim ſine divino quodam inſtinctu, & auxilio id aut cogitare aut conſequi unquam potuiſſet. Quod verò id vitæ genus omnibus rebus anteponendum eſſe judicavit, ſummæ profectò prudentiæ eſt. An eſſe ulla maior prudentia unquam poteſt, quàm vindicare ſe ſibi, nec alienis negotiis diſtentum ſe duntaxat ac ſua curare, ſeſe in arctum cogere, & minimam

ſui partem nudatam præbere fortunæ? Sed quibus gradibus ad hoc beatæ tranquillitatis culmen Puteanus pervenerit, videamus. Duas res potiſſimùm in vita tranquillitati obſtare nemo eſt qui neſciat, ambitionem & avaritiam: geminas quaſdam peſtes ac furias generis humani. Quarum utra tetrior ſit ac violentior, difficile eſt dicere: ſed ubi ambæ ſimul junctæ animum cujuſpiam occuparunt, tum verò incredibiles excitant æſtus ac tempeſtates. Ceterùm quicunque ad ipſum tranquillitatis portum cupit appellere, ſic clavum prudentiæ moderari illum oportet, ut inter hos duos ſcopulos rectum ſemper navigationis curſum teneat, nec ſe Sirenum cantu deliniri patiatur: ſed ut quondam Vlyſ-

ſes prætervehi debet, non quidem auribus cera oblitis, ſed animo adverſus cupiditatum illecebras obfirmato atque invicto. Id verò à Puteano egregiè præſtitum eſſe teſtes mihi eſtis. Qui cùm ad ſummos honores meritò adſpirare poſſet, utpote clariſſimi Senatoris Claudii Puteani filius, cujus vivit adhuc immortalis memoria atque fama; nec materno genere minùs nobilis: cúmque eſſet ipſe eximiâ indole præditus, & liberalibus diſciplinis non vulgariter inſtitutus, quæ omnia ambitionem juventutis ſtimulis quibuſdam incitare ſolent, tamen ſpretis honoribus, nobile quoddam ac liberale otium præoptavit. Ac principio quidem foro nomen dederat, morem ſecutus nobilium adoleſcen-

tum, qui in hoc ſtadium laudis & gloriæ, atque honorum veſtibulum ingredi conſueverunt. Sed eo hactenus adſpecto & ſalutato, vt morem atque ordinem judiciorum cognoſceret, útque graviſſimum illum cœtum videret, in quo & pater ipſius, & ex materna ſtirpe quamplurimi ſumma cum laude conſederant, rectà ſe in domum, atque in ipſum tranquillitatis contulit ſinum, à quo tota deinceps vita divelli non potuit unquam, nec voluit. Eodem animi impetu quo honores contempſerat, conjugalibus etiam vinculis repudiatis, utraque ſimul cupiditate ſuperiorem ſe præſtitit.

Sed erit fortaſſe quiſpiam qui non magnopere mirandum eſſe dicet honores à Puteano ſpretos fuiſſe, ad

quos in numeroſa præſertim & frugi familia adſpirare vix poſſet. Quid tu mihi labem atque infamiam temporum noſtrorum commemoras, quam ego de induſtria tacitus diſſimulare volueram? An ſi ius & ratio in legendis magiſtratibus valeret, non exiſtimas P. Puteanum, & alios ejus ſimiles ultrò ad tribunalia invitandos fuiſſe? Ego verò ob id ipſum maximè honores à Puteano ſpretos dico, quòd venales eſſe eos videbat. Vile enim profectò ſit neceſſe eſt, quicquid pecunia comparatur. Neque enim merx ulla quæ venum exponitur, pecunia ipſa multò pretioſior poteſt eſſe. Quòd ſi pecuniam, quâ res omnes ipsíque adeò honores parantur, non ſolùm faſtidio, ſed etiam contemptu dignam ſapientes

viri ſemper judicaverunt, certè nec magiſtratus ipſi qui tanquam in auctione pretio addicuntur, eo quidem nomine magni faciendi ſunt. Verùm concedamus, ſi placet, arctiorem cenſum fuiſſe Puteano, quàm ut ad Senatoriam dignitatem comparandam ſufficere valeret. Quæ interim non minima laus eſt patris ipſius Claudii Puteani, qui in ſummo magiſtratu ſumma cum integritate verſatus, plus gloriæ liberis ſuis quàm pecuniæ reliquit. At ſi minùs ſuâ pecuniâ, gratiâ certè, atque amicorum ſubſidio potuit facilè Petrus Puteanus ad honores pervenire. Potuit ſuffragantibus viris potentiſſimis, quibus aut notus erat aut affinis, honores ſaltem eccleſiaſticos adipiſci. Quos tamen ille nunquam concupi-

vit, ſed aliis potiùs quàm ſibi mandari voluit, ut ſui ſemper juris tranquilliore otio frueretur. Atque ut ſcias non ex æris inopia, ſed certo ac fixo propoſito, & conſtanti animi inductione honores à Puteano contemptos fuiſſe, unico eóque illuſtriſſimo argumento rem evincam. Meminiſtis, ut opinor, cùm ei ante hos decem circiter annos ob egregia ipſius in remp. merita, Comitiva ſacri conſiſtorii à Rege delata fuiſſet, quanta cum animi magnitudine oblatum ſibi in illo Regis conſiſtorio conſeſſum, ſolo Comitivæ titulo contentus repudiavit: ídque non faſtu aut arrogantiâ, à qua vir ille maximè ſemper alienus fuit, ſed amore otii ac tranquillitatis, à cujus complexu & contubernio ut diſce-

deret, nullâ unquam conditione poterat adduci.

Otium porrò cùm dico, ne quis mihi molle quoddam ac delicatum otium ſuſpicetur, cujuſmodi eſt hominum luxu ac deliciis diffluentium; nec languidum pigrúmque, quale ſervulorum eſſe, ac nullius pretii hominum ſolet. Longè aliud eſt otium ſapientum virorum, quos nunquam minùs otioſos videas, quàm dum ſunt otioſi, quippe qui probè intelligunt non ſolùm negotii ſui, ſed etiam otii reddendam eſſe rationem. Itaque illorum otium aliorum negotiis longè antepono. Nec ſine cauſa Socrates dicere ſolebat non cujuſvis eſſe hominis in otio agere, ſed ſolius ſapientis, qui cùm omnia rectiſſimè faciat, tum bellè inprimis

otio

otio uti novit. Hujuſmodi igitur otium Petri Puteani fuiſſe dico, quod ille totum in literis, & pulcherrimarum rerum cognitione conſumpſit. Et cùm in quacunque diſciplina ad quam animum applicare voluiſſet, primas poſſet ſine controverſia obtinere, tamen promiſcuæ eruditionis gloriam aliis conceſſit: ipſe ad hiſtoriæ, rerúmque Gallicanarum notitiam converſus, otium ſuum patriæ utilitatibus & gloriæ conſecravit. Nec contentus vulgarium librorum lectione, ingentem præterea numerum Epiſtolarum, Actorum, Legationum, Chartarum, atque hujuſmodi monumentorum publicorum undique conquiſivit. Quæ omnia, ut erat elegantiæ ac nitoris ſtudioſiſſimus, pulcherrimo ordine

digeſta, non ſine maximis ſumptibus in libros redigi ac compingi curaverat. Diceres novam quandam bibliothecam ab illo eſſe compoſitam, paternæ illi atque hereditariæ nihilo poſtponendam. Quam tamen ille non ad privatum duntaxat uſum ſibi retinendam putavit, ſed ut erat bono publico natus, omnium uſui & commodis publicavit. Itaque nemo ferè erat in civitate, qui non ejus domum libentiſſimè frequentaret. Conveniebatur quotidie à Senatoribus, à Legatis, à Principibus, ab omnibus omnium ordinum viris, partim ut eum conſulerent, quem unum rerum noſtrarum peritiſſimum eſſe cognoverant: partim ut libros illos, quibus tot recondita monumenta continebantur, ab illo com-

modatos acciperent. Nec quicquam gratius accidere poterat Puteano, quàm cùm cujuſpiam hominis eruditi laborem ſuis illis monumentis adjuvari poſſe intellexerat; quippe qui hunc unum fructum eſſe cenſebat tot ſumptuum ac laborum ſuorum, ut hiſtoriam patriæ aliqua ex parte illuſtrare poſſet.

Atque hoc primum mihi videtur fundamentum fuiſſe Muſei illius toto orbe celeberrimi: de quo ſiquid impræſentiarum dicere aggreſſus fuero, vereor ne infra ejus dignitatem mea eſſe videatur oratio. Sed tamen cùm quemadmodum olim M. Cicero quicquid in eloquentiæ ſtudio profecerat, id totum Academiæ ſpatiis acceptum referre ſolitus erat, ſic ego Academiæ illi fratrum Putea-

norum ſtudia noſtra plurimùm debere profitear, nefas mihi eſſe arbitror de ejus inſtitutione nunc ſilere. Malo enim ut de ejus gloria aliquid oratione noſtra imminutum eſſe videatur, quàm ut ſilentium noſtrum ingrati animi reprehenſione non careat. Igitur cùm apud alias nationes, ac præſertim in Italia pleraſque Academias ridiculis quibuſdam atque abſurdis nuncupatas nominibus Puteanus videret, eíſque certas leges deſcriptas eſſe intelligeret, certáque argumenta de quibus illic eſſet colloquendum, definita, nec in eas præter homines ingenuis diſciplinis excultos quemquam admitti, planè diverſum iter in Academia ſua inſtituenda ſequi maluit. Neque enim ullum ei nomen impoſuit, nec ſer-

mones qui in ea eſſent habendi, ullis legum vinculis aſtrinxit, nec ab ejus aditu quemquam ſubmovit, niſi qui ſuâ ipſe infamiâ aditum ſibi ad eandem intercluſiſſet. Quod cuidam notiſſimo ætatis noſtræ paraſito non ſemel eveniſſe meminimus; cui Muſarum illud ſacrarium ingredienti in ipſo ſtatim limine occurrens Puteanus, nunquam hominem ulterius progredi paſſus eſt, nec in ornatiſſimo cœtu illo conſidere. Omnes igitur omnium ordinum viri non ſolùm togati, ſed etiam militares eò conveniebant: nec tantùm Senatus, ſed etiam eccleſiæ Proceres hoc Muſeum frequentabant. Vix in tota civitate domus erat ulla, cujus limen tot honeſtiſſimorum virorum veſtigiis tereretur; ad cujus veſtibulum tot

equi, tot currus, tot famuli quotidie præſtolarentur. Tanta porrò hujus Muſei fama non modò per univerſam Galliam, ſed per omnem ferè Europam longè latéque diffuſa eſt, ut quicunque ex Italia, Germania, & ab ultimis uſque Septentrionis nationibus huc advenerunt, nequaquam exiſtiment omnia hujus civitatis ornamenta ac decora ab ſe eſſe viſa, niſi in hoc præſtantiſſimum Muſeum ingreſſi ſint. Quod quidem vocare ſoleo aſylum ac perfugium literarum. Nec falletur meo quidem judicio, quiſquis illud appellare voluerit commune quoddam vinculum omnium eruditorum. Etenim homines in omni genere doctrinæ præſtantiſſimi, Philoſophi, ac Mathematici, Theologi quoque, &

Philologi, hiſtoriæque & antiquitatis peritiſſimi ibi quotidie conſpiciuntur. Nec ad formanda hominum ingenia quidquam excogitari poſſe utilius hoc conſeſſu puto. Quid enim aptius ad judicii vim exacuendam, quàm multiplices de qualibet re propoſita audire ſententias hominum doctiſſimorum, & qua quiſque via ac ratione ad veritatem inveſtigandam feratur, inſpicere, & ubi aliorum ſermones ac ſententias cum tua ipſius ratiocinatione contuleris, quantum tibi adhuc ad perfectam intelligentiam deſit, videre? Olim à Ptolemæis Ægypti Regibus Muſeum cum locupletiſſima bibliotheca Alexandriæ exſtructum eſſe legimus, in quo homines eruditi Regiis ſtipendiis alerentur. Itaque hanc

Muſarum caveam non inſcitè Timon Philoſophus appellavit, quòd in eo loco doctiſſimi viri tanquam altiles aves in cavea ſaginarentur. Sed hoc Puteanorum Muſeum Alexandrino illo longè præſtantius mihi videtur, tum quòd multo maiore doctorum hominum frequentia celebretur, tum præcipuè quòd non modò omnis eruditionis copia, ſed etiam rerum civilium non vulgaris notitia ex hoc noſtro percipi poſſit.

Quod igitur otium (Auditores ornatiſſimi) hoc Petri Puteani otio amœnius unquam fuit, quæ tranquillitas beatior, quis ſeceſſus felicior? Mihi certè ne ipſæ quidem ſi uſquam ſunt, fortunatorum inſulæ fortunatiores videntur. Conferat nunc qui volet aliorum, atque in-

pri-

primis Senatorum inquietiſſimas occupationes cum hoc otio Petri Puteani, & quantum interſit inter utrumque vivendi genus, intelligat. Illi totos pæne dies in curia ſedent audiendis litigantium clamoribus occupati: Hic doctorum hominum ſermonibus quotidie fruebatur. Illi contractuum, teſtamentorum, & hujuſmodi inſtrumentorum exemplaria, & tædioſiſſima cauſidicorum ſcripta aſſiduè in manibus habent: Hic vetera hiſtoriæ noſtræ monumenta cum ſumma voluptate lectitabat. Illi litigantium jurgia diſceptant: Hic de libris & operibus eruditorum virorum ſincerè atque integerrimè judicabat. Illi ex aliorum controverſiis privatum ſibi quæſtum comparant: Hic ex ſtudiis ſuis nihil præ-

ter decus & gloriam patriæ captabat. Illorum domus procuratorum, & litigantium turbâ : hujus lectiſſimorum hominum frequentiâ redundabat. Quòd ſi fortaſſe penes illos gratiam, auctoritatem, potentiam reſidere quis dixerit, ne hæc quidem omnia Petro Puteano defuerunt. Vixit enim tantâ auctoritate privatus, quanta vix unquam ullis in ſummo magiſtratu conſtitutis fuit. Itaque qui honores initio refugerat, ab honore ultro ambiri videbatur. Cujus commendatio apud Iudices, & tam Senatus quàm eccleſiæ Proceres plus valuit, quàm ſuffragatio Petri Puteani? Quis ex ipſis aulæ Proceribus ejus notitiam non appetivit? amicitiam ſummo honori non duxit? Verùm ille tantâ gratiâ atque auctori-

tate nunquam ad ullius noxam atque injuriam, ſed ad aliorum commodum atque utilitatem ſemper eſt uſus. Poſſem plurima hîc exempla prolixæ illius erga amicos beneficentiæ vobis commemorare, niſi hoc facto plurimorum qui hîc adſunt onerare verecundiam viderer. Præſtat igitur ut privata unicuique beneficia narranda relinquamus, maximè cùm in referenda gratia nihil ſit grato animo eloquentius. Illud autem inſigne beneficium, quo me privatim ei obſtrictum eſſe in ipſo orationis exordio ſum profeſſus, à me ſi lubet, accipite. Meminiſtis adhuc temporis illius acerbiſſimi, cùm Publicani genus hominum rapaciſſimum, & alienis opibus inhiare ſolitum, novum atque inauditum quoddam

exactionis genus excogitarunt, quod collationem divitum appellabant. In hunc divitum numerum relatus eſt inter ceteros Carolus Valeſius pater meus, vir qui ſuo ſemper patrimonio contentus vixerat, nec nummum ullum Regiæ pecuniæ contrectaverat. Imperata eſt ei non modica vis pecuniæ, quam intra pauciſſimos dies ſolvere jubebatur. Ea res non mediocriter animos noſtros conturbabat. Itaque ego & Hadrianus Valeſius frater meus quod unum poteramus, querelas noſtras ad amicos detulimus, inter quos Puteani fratres principem locum obtinebant. Ægrè inprimis hunc caſum tulit Petrus Puteanus, & tum quidem nihil dixit. Sed craſtino Illuſtriſſimum Senatus Principem Matthæum Mo-

læum adiit, quocum ipſi ſumma familiaritas intercedebat; virum in tantum prudentiæ, reliquarúmque virtutum faſtigium evectum, in quantum ſe ſe efferre humana mens poteſt. Cauſam ei ſui advêntus aperit, facinus indignum eſſe inquit, nos, quos literarum merito tutos eſſe atque immunes decuerat, hoc calumniæ genere vexari: depellendam eſſe à nobis hanc injuriam. Tum Molæus, ut eſt ad bene de literis merendum promptiſſimus, id ſe effecturum pollicetur. Nec mora Puteanus famulum cum epiſtola ad nos mittit, monens ut ſtatim à prandio ego, & frater ad Prætorium illuſtriſſimi Præſidis pergeremus. Excepti à Molæo cum ſumma humanitate, indictionis noſtræ libellum, cujus exem-

plar ab apparitore nobis editum fuerat, ipſi obtulimus, patrocinium ejus implorantes. Ille accepto libello nos bono animo jubet eſſe, ſe id quod poſcebamus, à Præfecto Regalis ærarii facilè impetraturum. Vix biduum interceſſerat, cùm Puteanus libellum illum ad nos remittit, Præfecti ærarii manu ſubnotatum, mandantis uni è judicibus, quibus ea juriſdictio à Rege commiſſa fuerat, ut nos hac indictione liberaret. Idque intra paucos dies incredibili celeritate completum eſt: tantum pondus habuit commendatio Petri Puteani. Et magnam quidem eo nomine gratiam illuſtriſſimo Molæo, non minorem tamen Puteano debemus, qui nobis præſentiſſimum illud ac potentiſſimum Molæi patrocinium conciliavit.

Quemnam igitur Puteano noſtro parem unquam extitiſſe cenſetis, quem tot tantíſque animi dotibus ornatum? Niſi fortè Pomponium Atticum conferre lubet. Hic enim perinde nobili loco natus, cùm nullos non magiſtratus Romæ aſſequi poſſet, tamen ab honoribus conſtanter abſtinuit, & otium ſuum in literis, & in hiſtoriæ Romanæ, nobiliúmque familiarum cognitione traduxit. Par etiam in utroque beneficentia, niſi quòd Atticus plures pecuniâ ſublevavit, Puteanus verò tantùm gratiâ. Eſt autem tanto majus gratiâ quemquam adjuvare, quanto plus plerumque gratiâ efficitur quàm pecuniâ. Et pecuniâ quidem adjuvare inferior ſuperiorem poteſt: gratiâ niſi ſuperior non poteſt. Ceterùm

neuter beneficia ſua venditare ſolitus : malebántque præſtare operam amicis, quàm polliceri. Verumtamen hoc mihi ſuperior Attico Puteanus videtur, quòd nec conjugalibus vinculis, nec tantâ rei familiaris curâ diſtrictus fuit, nec priſtinam vitæ tranquillitatem violento, ut ille, exitu maculavit: ſed cùm in ſumma innocentia vixiſſet, tandem perceptis omnibus religionis noſtræ ſacramentis, ſpem æternæ tranquillitatis jam animo præcipiens, placidiſſima morte deceſſit. Vir profectò immortali memoria, & hoc, quem ei nunc habemus, honore digniſſimus: optimus civis, patriæque amantiſſimus, qui ſemper utiliſſima Reipublicæ & ſenſit & dixit: Amicus fideliſſimus: fautor & propu-

gnator

gnator acerrimus literarum: ſummis iuxtà ac mediis carus: ſui ſemper ſimilis & conſtans, nec tenuitate rei familiaris infractus, nec affluentibus poſtmodum opibus elatus, eodem ſemper tenore æquabilem curſum à carceribus uſque ad metam peregit. Habetis imaginem vitæ Petri Puteani (Auditores) eámque non fucatis adumbratam coloribus, ſed veritatis ipſius penicillo delineatam. In quam quoties oculos conjeceritis, non mediocre levamentum doloris veſtri percipietis: & quam deinde, ſi placet, ad poſteros tranſmittentes, immortalem, quantùm in vobis erit, memoriam nominis Pùteani conſervabitis. Supereſt vobis etiam altera ejus imago, atque utinam diu ſuperſit: fratrem intelligo, veram

effigiem oris illius, modeſtiæ, probitatis. Quo quidem ſuperſtite tantam hanc jacturam moderatiùs ferre debetis. Tibi verò Iacobe Puteane, jam enim ad te noſtra ſe convertit oratio, cujuſmodi conſolationis fomentum ad molliendum ſolitudinis tuæ dolorem adhibebimus? Amiſiſti quidem fratrem optimum, atque amantiſſimum tui, cum quo ſexaginta ferè annos ſine ulla offenſione vixiſti. Sed habes amicos fratris tuíque communes, ut omnia ſemper vobis fuere communia, qui ſicut clariſſimi viri fratris tui exitum acerbiſſimè lugent, ita omnem cultum ac benevolentiam, quam nuper in duos partiebantur, nunc in te unum conferunt atque convertunt. Noli igitur horum mœrorem tuo

mœrore exaggerare. Tot tibi fratres adeſſe exiſtima, quot hîc amicos circumſtantes vides. Quamquam ſi fratrem adhuc deſideras, habes Chriſtophorum Puteanum, virum ſummâ doctrinâ, prudentiâ, ſanctitate. Qui tametſi locorum ſpatiis longiſſimè abeſt, adeſt animo, adeſt creberrimis literis & nuntiis. Quare abſterſo doloris nubilo animum erige, & ad majora te negotia accinge. Annon ſentis majus nunc tibi eſſe onus impoſitum morte fratris tui? Suſcipias oportet patrocinium literarum. Non potes hanc hereditatem repudiare, quam Vir clariſſimus pater, quam frater tuus tibi reliquerunt. Et quemadmodum quoties ad unum quempiam nomen atque hereditas ſplendidiſſimæ familiæ pervenit, to-

tum gentis decus in illo uno periclitatur, ſic tibi elaborandum eſt, ne ab illa paterna, fraternáque gloria degeneraſſe videare. Omnes in te oculos nunc defixos habent, & abs te contendunt, ut quam perſonam vivo fratre in ſecundis partibus conſtitutus gerebas, eam nunc mortuo ſolus velis ſuſtinere. Quod ſi feceris, ut facturum te omnes confidimus, & pulcherrimum pietatis tuæ monumentum fratri ſtatues, & tibi ipſi immortalem gloriam comparabis.

## ΕΙΣ ΤΟΝ ΠΕΤΡΟΥ ΤΟΥ ΠΟΤΙΑΝΟΥ ΤΑΦΟΝ

## ΕΠΙΓΡΑΜΜΑ

ΚΑΤΑ ΕΡΩΤΗΣΙΝ ΚΑΙ ΑΠΟΚΡΙΣΙΝ.

α ΠΕΤΡΟΥ *μνῆμα τόδ' ἐστί.* β *τίνος Πέτρου;*
α ΠΟΤΙΑΝΟΥ·
β *φεῦ. τοιοῦτος ἀνὴρ ἄξιος οὐ θανέειν·*
α *Τέθνηκεν τίγε σῶμα. τὸ δὲ κλέος οὔποτε θνήξει·*
β *Τλητὸν ἐπεὶ τὸ πλέον νῦν περίεστιν ἔτι.*

---

## Idem Epigramma Latinè.

Hic Petri *eſt Tumulus. Cuius Petri?*
Puteani.
*Serius, aut nunquam debuit ille mori.*
*Mors rapuit corpus, ſed honos & gloria vivit.*
*Major quando viri pars ſupereſt, ſatis eſt.*

# IN OBITVM PETRI PVTEANI V. CL. EPIGRAMMA.

*N*VPER *inaudito* PVTEANI *funere mœſtæ*
*Vrbe minabantur cedere Pierides.*
*Verùm ubi compertum eſt fratrem ſupereſſe* IACOBVM,
*Vna Camœnarum talia verba dedit.*
*Amborum hic inſtar nobis: perſtate, Sorores.*
*Et potis eſt doctas hic retinere Deas.*

FINIS.

# BERNARDI
# MEDONII
## EXTEMPORALIS ORATIO
## IN OBITVM
# PETRI PVTEANI.

# VIRO CLARISSIMO PRÆSTANTISSIMOQVE
# D. IACOBO DE MARMIESSE,
## BARONI DE LVSSAN, REGI AB interioribus Conſiliis, & in ampliſſimo Toloſatum Senatu Advocato Generali.

### BERNARDUS MEDONIUS S.P.D.

OFFERO *tibi pias lacrymas* (VIR PRÆSTANTISSIME) *quas cùm primùm per te de clariſſimi Petri Puteani fato certior factus ſum, ſubitò largiter effudi. Vtque tunc illæ tibi non indecoræ aut inhoneſtæ viſæ ſunt, quæ vel coram te oculis meis permitterentur; quando etiam tu tanto Heroë, & amico orbatus, non levi mœrore affectus eras; ita eaſdem jam aliquot dierum ſpatio concretas, ſacro thure & amomo quibus magnificè ejus rogum perfudiſti, confidentiùs condire non vereor. Excipies, puto equidem, illas, etiam in tanto luctu, non ſine aliqua voluptate, quia hujuſmodi amicorum juſtis officiis, amantiſſimus omnium tu, humaniſſimè non potes non favere.* SVMMI PVTEANI *cineribus non aureas coronas, aut ſuaviter ſpirantia ſerta ſterno* (*qualia ma-*

*ximi Valeſij fratres) ſed amicas do lacrymas, fideles lacrymas, teſtes imbecillitatis meæ atque inopiæ. Adhibeant alii nobiles inferias, & ſplendida funerum ornamenta; mihi nihilominùs videbor, tam eximiis Manibus abundè ſatisfeciſſe, ſi modò tibi uni, in quo perfectæ conſummatæque naturæ egregias dotes ſummâ omnes ſuſpicimus reverentiâ, non omnino hæ diſplicuerint. Præterea cùm de laudibus etiam Herois tanti penitus non ſileam, (quis enim ejus monumentum laudibus non exornabit?) quas tot inter ſuſpiria gemitúſque luxati pectoris, lugubres & quaſi confragoſas voces, vix vi trahere valui, eas quoque ad te defero. In quo ſanè fateor, harum me magis conſuluiſſe tenuitati, quàm dignitati tuæ: quòd ex ſe inanes illas ac pæne nullas; neque mei ullo ſtudio, aut commendatione concinnas, non niſi ſpectatiſſimas per te fore voluerim. Neque irrita erunt proculdubiò mea vota, ſi facundiſſimo tuo ore à quo ſæpiſſime jura publica defendente mirâ jucunditate pendemus, edantur. Impertire igitur (*VIR CLARISSIME*) hanc illis gratiam de tuo, quam aliunde mutuari nequeunt, & quæ fuerunt mihi munera temporis, ſaltem hæc eâdem habe tibi conditione, méque præſtantiſſimi nominis tui, ſemper obſervantiſſimum. Vale Reipublicæ utriuſque literariæ atque politicæ præcipuum decus.*

*Toloſæ* IV. *Kal. Martii* M. DC. LII.

# BERNARDI MEDONII EXTEMPORALIS ORATIO IN OBITVM ILLVSTRISSIMI VIRI PETRI PVTEANI, CLAVDII FILII, REGI AB INTERIORIBVS CONSILIIS.

MORIS eſt & æquitatis (Auditores ornatiſſimi) ab eo tempore in animis hominum inſitæ, à quo primùm ipſa virtus cœpit agnoſci, eorum mortem laudibus encomiiſque proſequi, quorum

vita præclara, felicem laudum encomiorúmque materiam dicentibus ſumminiſtrat. Nobile ſanè inſtitutum à quo unquam recedere, ut foret impium, ita ſperare vanum, in hoc hodierno luctu, qui tantus eſt ut haud ſciam an infauſtior ulla dies majorem aliquando ſit allatura, inanibus noſtris muneribus huic abundè ſatisfactum iri. Tantas ſpes nobis non permittit acerbiſſimus dolor noſter; mihi præcipuè, cui vix illud animi ſupereſt, quo liceat queri. Nam cùm verba deſint rebus immenſis, mœrórque ſummus eò magis ingenii vires frangat atque debilitet, quò æquior ejus cauſſa eſt; quantò melius eſſet, Auditores, horrore ſacri ſilentii obſignare meum luctum, meæque ſimul conſulere impoten-

tiæ, quàm ferales & interruptas edere voces: ſed ſalvâ pietate, quæ non minima Religionis pars eſt, fieri nequit ut obmuteſcam omnino, aut ab hac provincia me penitus ſubducam, in qua obeunda hoc ſaltem accedit ſolatii, quòd hic noſter apparatus, queſtibus gemitibúſque, quibus nemo noſtrûm in tanta jactura affatim non abundat, præcipuè debeat inſtaurari. Hæc erunt triſtia ornamenta, maxime PVTEANE, quæ in tuum funus conferre ſolùm poſſumus; verùm quæ forſan meliùs quàm ornatus quilibet orationis, aut ulla dicendi copia, noſtram quâ te dum vixiſti proſecuti ſumus benevolentiam, & quâ te nunc defunctum colimus, reverentiam ſignificabunt. Scilicet éſtne aliquis qui in tam ſæ-

ua ſorte in qua ob tuam abitionem verſamur, ullis ingenii facultatibus, aut ullâ facundiâ poſſit valere? Certè nemo eſt; deficiunt quippe nobis omnes qui ſtylo eſſe ſolent cultui, lepores, gratiæque, & quaſi tecum unà ſint ſepultæ, noſtræ deſunt orationi. Quid ergo fiet, Auditores ornatiſſimi, erimúſne adeo doloris impotentes, adeo mœrore præpediti, ut non aliquis inter noſtros ſingultus poſſit dari locus tanto viro parentandi? Nunquid turpis ſocordiæ noſtram arguet imbecillitatem virtus, cujus tot clara monumentis P. PVTEANI vita fuit? Et num egregia illius facta quorum ipſammet æternitatem æquabit memoria, ruſticitatis damnabunt nos, ſi non niſi vulgari luctu, lacrymis nempe, & ge-

mitibus, quæ quibuſcumque hominibus non negamus, Heroïs hujus ſacros cineres aſpergimus? cohiberi hanc lacrymarum noſtrarum vim, neque diutius gemitibus rumpi pectus debere ratio, & ipſi Puteani manes ſuadent,

*Non eſt gemendus*
*Virtute quiſquis abſtulit fatis iter,*
*Æterna virtus Herculem fleri vetat,*
*Fortes vetat mœrere, degeneres jubet.*

Quare collapſas penitus vires noſtras, proſtratóſque animos quàm fieri poterit, excitare conemur: lacrymas iſtas non indecoros humanæ imbecillitatis indices non pudor eſt ſiſtere; cùm enim hujuſmodi miſera ſolatia quibus adeo indulgemus, poſtulat immenſus dolor, quid P. PVTEANI virtus eximia, quid præclaræ animi dotes, quid ſanctum & ve-

nerandum nomen, quid denique pia à nobis ejus non exigit memoria? Verùm proh dolor! quàm parum præſtare poſſumus, aut quàm non ineptè pro ejus dignitate noſtris quibuſcumque conatibus reſpondere. Etſi inter tot & tantas defuncti P. PVTEANI virtutes, nulla eſt quæ non uberrimam dicendi materiam præbeat, nihílque in illius vitæ curſu peractum, quod fertilis inſtar campi non cuilibet pateat in ejus laudes excurrenti: fateor tamen ego ingenuè copiâ me tantùm laborare: hinc luxuriat quidem immenſa laudum ſeges, ſed hæc ipſa noſtram inopiam parit: & ut pleno ſole oculorum acrior hebeſcit acies; ſic contemplatione illarum rerum, quibus PVTEANI vitæ quælibet ſplendent momenta,

ta, ingenii mei acumen planè obtunditur. Offerunt ſeſe mihi vnâ quaſi fronte infinitæ rerum præclararum ſpecies, méque earum unaquæque ad ſe inſigni quodam argumento allicit, dúmque omnibus totus eſſe non nolo, (ſic formoſiſſimæ mihi omnes videntur) aliquam tamen præferre velim, cùm omnes amplecti nequeam, parum abeſt (Auditores clariſſimi) quin ſilentio potiùs quàm verbis, adeo illarum me tenet admiratio, præſens ſpatium temporis, vel in hoc ornatiſſimo veſtrûm conſeſſu, inſumam. Quam enim ob virtutem te primùm laudem, P. Puteane? cùm apud te quævis princeps haberi poteſt; aut à quanam vitæ periodo exordium Panegyrici tui deſumam, cùm à qualibet honorifi-

R

centiſſimè claudi potuiſſet.

Neſciit Heros noſter ætates illas, in quas diſtribui cum tam magno diſcrimine, vulgarium hominum vita ſolet, propterea quòd in illius exquiſitiſſimum corpus adeo excellentem animam infuderat Æternum Numen, ut fieri profectò nullo modo potuerit, quin tam æqua corporis animíque ſocietas, quæ tantâ ejuſdem numinis providentiâ inita fuerat, ab ullius quotidianæ ſortis incommodis immunis non ſolùm eſſet, ſed nec ullâ etiam prærogativâ indigeret. In illo igitur vitæ ſpatio quod apud alios homines juventus, aut adoleſcentia dici ſolet, ætate quidem tener vixit P. PVTEANVS, verùm virtute maſculâ, & judicio plus quàm maturo. Non tunc irretieba-

tur ille inanibus nugarum blanditiis, quibus totius vitæ mollior ætas frangi ſolet atque corrumpi; neque divinam mentem ſeriis tantùm occupationibus intentam, magníſque rebus natam alliciebant hujuſcemodi vanæ quaſi præſtigiæ humanitatis, quibus juvenes inhiare ſolent: ſed honeſta quæque virtutis, & honoris ſtudia, illam mirum in modum ad ſe trahebant.

Tunc jacta fuerunt ſtupenda hæc fundamenta, Auditores, immania dicerem ſi deceret, humanitatis illius quam nemo noſtrûm poſtea non eſt expertus, quámque in æternum deſiderabit Europa. Atque hinc facilè vel ſilente me judicare poteſtis, quo animo, quâve operâ, aut quo ſucceſſu, humanioribus literis ſe totum

mancipârit. Verùm neque hîc ſine aliquo honoris titulo nobiliſſimorum ejus parentum in illo optimis inſtitutis informando ſilendæ ſunt curæ atque ſolicitudines : proinde quòd per ſe ſatis ſupérque diligens, eorum omnium vota longis paſſibus antevertens, nullis, ut aiunt, ſtimulis urgendus eſſet. Etenim maximè laudandi vel in hoc mihi videntur, quòd licèt tantâ ſeipſos prole ſpectandos fore aliquando viderent, voluerint tamen induſtriam omnem, & vigilantiam inſumere ejus cultui, ut hoc etiam nomine perbellè optimorum parentum officio functi eſſe viderentur. Quare ex hoc poteſt, Viri ornatiſſimi, vel veſtris oculis conſtare, non ſolùm per ſe ſuâque indole planè liberali, officii omnis

obſervantiſſimum fuiſſe P. PVTEANVM, ſed & quo pauci gloriari poſſunt, hæreditario quaſi quodam jure & ſucceſſionis.

Erat omnium ſcientiarum peritiſſimus CLAVDIVS PVTEANVS; filium exoptabat ſui ſimillimum, velut propriis manibus effingere. O quàm futuri portenti in quod evaſurus erat P. PVTEANVS, præſcia erant parentis vota, verùm quàm humana illa divinitùs ultrò expleverit vobis coram habetis. Prohibet modeſtia, ut illum cum Patre conferam, & vetas tu IACOBE PVTEANE, clariſſimæ familiæ nobiles reliquiæ, ut de tui Patris Fratríſque principatu decernam; ſed mea me magis impedit imbecillitas & caligo.

Iam verò æquum eſt, Auditores,

ut in hanc P. PVTEANI vitæ partem in qua ſubſtiteram, orationis meæ ſtylum reducam, méque ad reliquum accingam.

Convertebat tunc ille ad ſe omnium oculos, nec adhuc Literatorum latè patentem palæſtram ingreſſus erat: ſuſpiciebant illum quotquot erant alicujus nominis in orbis illa urbe Lutètia, nemóque erat quamvis ſpectatiſſimus, quin apud illum bene audire totis non votis exoptaret. Vix illorum, inquam, nomen norat P. PVTEANVS, cùm omnibus præclarè notus eſſet: & quamvis jamjam ad tranquillitatem vitæ, unicum & ſincerum, ut ita dicam, animæ condimentum, ſeſe comparaſſet, ac pæne accinxiſſet; efficere tamen haud potuit quin literatiſſi-

morum virorum, quos aut ejus patria, aut reliquæ orbis partes haberent, officiorum copiâ, ne dicam impetu, in altam quaſi lucem invitus jactaretur. Quis ſeceſſus amabô, aut quænam ſolitudo tantum poterat lumen tegere! Heroüm virtus ubi ubi ſit, diu latere non poteſt.

Interim ſpectabat adhuc CLAVDIVS PVTEANVS hos honorum cumulos, pulcrámque virtutum imaginem in ore filii defixus mirabatur, cùm fini proximus, & jam ferè ultimam lineam pertingens, abiit ſolatii pleniſſimus, quòd puriorem vitam adepturus eſſet præſentis, ut ita dicam, nullâ jacturâ, quam ex filio ſuperſtite adhuc retineret. Felices parentes, qui non ſolùm veſtris meritis vivitis, ſed & liberorum veſtrorum

gloriâ! Extinctum CLAVDIVM luxit Gallia, Italia, atque Germania; quódque naturæ Genius teſtatur SCALIGER, jam jam naſcentis Bataviæ ſplendor quaſi marcuit; quippe qui nemo erat præclarus, aut alicujus famæ in illis orbis partibus, qui extincto CLAVDIO non turbaretur. At nunc mihi parce tu, PETRE PVTEANE, meæque ignoſce temeritati, ſi dixero parentis tui funus non levem per te injuriam accepiſſe, quòd reſtante te qui illam reſarcire etiam cum uſura poſſes, inferiarum meliori parte caruerit. Adhibebat te ſiquidem quiſque præſentiſſimum ſuis doloribus ſolamen, & licèt maximum lumen doleret ſibi ereptum Europa, nihilominus per te, quo nullo ſui luminis damno illuſtrari poterat, ſeſe ipſa

ipſa ſolabatur. Ex illa die (Viri clariſſimi) agnôrunt Literati Mecœnatem ſuum P. PVTEANVM, agnôrunt literæ Tutorem ſapientiſſimum, familiares amiciſſimum, neceſſarii liberaliſſimum, exteri humaniſſimum, quid amplius dicam? agnovit, inquam, illum Lutetia, cui vix totus orbis ornamento eſſet, ſuum decus & incrementum: quando ejus meritis factum eſt, ut ex remotiſſimis plagis, confluentibus ad eum omnibus eruditis, literarum emporium, atque alteræ Athenæ Lutetia dici poſſet. Vidit vidit illa urbs ſuos cives PVTEANI ædes aſſiduè frequentare; vidit Optimates, Antiſtites, Legatos, Principes quoque ejus alloquio ſumma veneratione ſeſe applicantes; audiit hoc etiam totus or-

bis non ſine reliquarum ſui partium ſtupore. Prædicabant nempe omnes magnarum rerum capaciſſimam illius mentem, nobilitatis & magnitudinis pleniſſimos animos, generoſiſſimam indolem cum honeſta modeſtia conjunctam, ſcientiarum denique omnium, & quod rarò reperire eſt, ſine ſupercilio peritiſſimum PVTEANVM, mille honorum titulis ad cœlum uſque evehebant. Nemo non conferre aliquid in ejus nomen famámque contendebat; quódque maximâ admiratione dignum eſt, cùm cuncti ſe illo longè inferiores agnoſcerent, nulli tamen illum invidiâ aut odio inſectabantur; adeo non tam ſolùm ſuis laboribus & vigiliis literarum, quàm animorum principatum, morum ſuavitate obtinuerat: hinc ad-

mirationem omnium, inde benevolentiam, utrinque verò cultum & obſervantiam ſibi devicit. His atque talibus rationibus inſtructus ſic vitam inſtituit, ut nihil prius haberet

*Quàm facilè omneis perferre ac pati;*
*Cum quibus erat cumque unà, iis ſeſe dedere,*
*Eorum obſequi ſtudiis, adverſus nemini:*
*Numquam præponens ſe aliis. Ita facillimè*
*Sine invidia laudem invenit, & amicos pares.*

Invenit certè amicos ex omnibus ordinibus infinitos, quibus confidentiùs utebatur, nec habuit unquam ullum in tanto numero, de quo non mediocriter & meritò gloriabatur, cui divortium poſteà indicere coactus ſit. Hi ſunt profectò portentoſi animi non infidi characteres, hi certiſſimi indices conſummatiſsimi judicii, & ineffabilis comitatis. At quid commemoro, Auditores, aut quò me

tuorum amicorum, P. PVTEANE, impulit recordatio. Recrudeſcit ſævum, & inſanabile vulnus, nec ita nuper cordi meo infixum, cùm ſubit ante oculos meos veneranda imago antiquæ neceſſitudinis illius, quâ cum maximo, & incomparabili CAROLO MONCHALLO Sedis Toloſanæ Præſule ampliſſimo, & Mecœnate meo conjunctus eras. Ergo utriuſque fato rumpi debuit adeo ſtabilita animorum communio: Ergo non ſat erat meliore mei parte defunctum me eſſe extincto te, Clariſſime MONCHALLE, etiam reſtabat ut omnino abſumerer morte P. PVTEANI, in quo quod poſt te vixit temporis non ſine vitæ tædio, tuam adhuc ſpirantem animam venerabar. Semper utroque ergo carendum eſt; fie-

ri certè per illorum amicitiam non debuit, ut qui uno ſolùm ſpiritu vivere videbantur, non eodem obitu occumberent. Videmus, Auditores ornatiſſimi, & ſentimus, quantum eſt hodierno quod amiſimus die. Etenim ſi ejuſmodi animi propenſione, & amoris conſtantiâ, adverſus amicos & familiares affectus erat, ut à tam magno Viro ita amari debuerit, qua caritate in Rempublicam fuiſſe putatis? ſane tantâ qualem in huncuſque diem non erat experta Gallia. Teſtis eſt celebris illa Academia, quam ex puriſſimis univerſæ naturæ velut partibus conſtitutam, quámque ego ſolitus eram appellare ΨΥΧΩΝ ΣΟΦΩΝ ΦΡΟΝΤΙΣΤΗΡΙΟΝ, utilitati omnium conſecraverat. Huícne unquam ſimilis ulla fuit ve-

ſtro judicio, Auditores? Aderant hîc ingenioſiſſimi quique, ſive dicendi aut ſcribendi, aut aliâ quâvis facultate valerent, ex occaſione & tempore graviſſimas utriuſque ſapientiæ naturalis, & divinæ quæſtiones agitantes. Nil in ea HVMORISTARVM duræ valebant leges, non moroſa nomina, aut fucati mores, perſonatíque vultus probabantur, ſed amabilis libertas, nativa ingenuitas, modeſti habitus, atque ſolùm honeſtæ rationes excipiebantur: non in ea Satyræ, aut maledicentiæ dabatur locus, ſed liberalibus, & ab omni invidia remotis contentionibus, quæ ſana eruditione animos inſtruerent, non verò exaſperarent. Reddebantur in illa æde non ſecùs ac olim Delphis, feliciori tamen ſucceſſu, cla-

rorum virorum infinita oracula, quibus tota demum Reſpublica literaria, ſine ambagibus, ſine nube utetur. Tete ipſum appello, P. PVTEANE, quoties illic inacceſſa literaturæ loca non explanaſti? Quoties Hiſtoriæ Regni noſtri tibi ſoli patentia adyta non omnibus reſeraſti? Quoties, inquam, tu in his perditiſſimis temporibus, in quibus linguæ uſura vix ulli datur, pari judicio ac experientiâ de ſalute ſtatus noſtri non conſuluiſti? Toties certè, Auditores, hæc omnia unus præſtitit PVTEANVS, quoties ſeſe dedit occaſio; ſeſe verò dedit frequentiſſimè. Excepiſtis ibidem præterea præſtantiſſimi Grotii exquiſitam elegantiam, ingenioſiſſimi Nicolai Heinſii delicatulas veneres, & lepores cum ſingu-

lari virtute & doctrina conjunctos, clariſſimi Sirmondi non indignam Tullio facundiam, magni Petavii eruditionem ſtupendam, atque adhùc harum divitiarum affluitis copiâ, quâ per totum reliquæ vitæ tempus etiam orbati tanto Viro, gaudere tamen poſſitis. Hæc & alia beneficia, quorum ſeriem inſtruere, aut perſequi orationis limites non ſinunt, ante oculos dum obverſantur, téque jacentem coràm video P. PUTEANE, tenere certè lacrymas iſtas, quæ cohibitæ hactenus ab oculis meis conantur erumpere, meam licèt arguant imbecillitatem, nequeo:

*Mea me lacrymas fortuna rogat,*

méque ut his ſacris cineribus ſuprema referam, eò vehementiùs impellit dolor, quò cùm nullis conatibus extol-

extolli defuncti vita, aut augeri ejus fama poſſit, qualecunque quod in præſentia magnæ huic animæ præſtitimus, abundè fore puto, pro modulo virium mearum; quas ſi non penitus abſumpſit luctus; hoc quod fuit reliquum divino ejus; & jam inter Divos relato P. PVTEANI Genio, planè me debere agnoſco. Adfuit ille ipſe mihi opem ferens modica hæc dicenti, & adeſſet ampliùs proculdubio, niſi plus meæ, noſtrûm non immemor, tenuitati; quàm ſui funeris ornamento aut dignitati indulgeret. Nec ſine dubio eſt, Auditores, quod mihi nunc in mentem venit, quódque certo certius ejus afflatu mihi animus ſuggerit; non illum quidem inania licèt; munera noſtra ſpernere, ſed in Fra-

trem cariſſimum, qui vos mœroris plenos videt, ipſe pleniſſimus, meámque mille ſuſpiriis interruptam vocem audit, omnia vota veſtra, ſpes & ſolatia converti malle, quàm in ipſum ſe: non quòd eandem voluntatem quam ſemper habuit erga nos omnes, non retinere velit, ſed ut Fratrem ſuperſtitem illuſtrem IACOBVM PVTEANVM, literarum atque humanitatis nitorem alterum, quaſi præſentius Numen habeamus. Talia defuncti P. PVTEANI juſta deſideria cumulatiſſimè omnes explebimus, Auditores, quod eò magis debemus, quò nemo eſt, qui aut morum præſtantiâ, aut eruditionis copiâ, aut denique virtutum omnium præſtantiâ præter te, unicum noſtrum ſolatium, tantum virum fideliùs valeat repræſentare.

Tranſegiſti unà cum tali viro, qualem non tulerunt elapſa ſæcula, vitæ tuæ majorem partem, cum ea rerum omnium conſortione, ut quin eodem animo quo fuit ille adverſus omnes nos, ſis & tu, nemo noſtrûm non dicam ſperat, ſed habet confidentiſſimè. Non deerimus etiam nos noſtris erga te officiis, quandiu hac vita frui licebit, & quam præſtantiſſimo utrique PVTEANO ſingulari fidelitate reverentiam antehac perſolvimus, quando majorem non poſſumus, parem impoſterum tibi ſuperſtiti conabimur adhibere.

# PIIS MANIBVS
# PETRI PVTEANI
## ÆTERNVM ÆTERNI AMORIS
## MONVMENTVM

posuit Bernardus Medonius.

DELICIÆ *procul hinc molles, faciliſque voluptas,*
*Mærentis pectus nil niſi triſte juvat.*
*Tu quoque lux abeas crudelis, conſcia facti;*
*Quàm tu blanda magis quæ mihi lux periit!*
*Scilicet hanc vitam* PVTEANVS *morte reliquit,*
*Ergo abeant vitæ gaudia cuncta meæ;*
*Vltima ſi ſaltem moriens mihi verba dediſſes?*
*Non foret indomito tantus ab igne dolor.*
*Hanc ego tunc animam legiſſem ſponte meantem,*
*Clauſiſſétque oculos officioſa manus:*
*Proh! mala ſors æquis nimiùm contraria votis;*
*Me prope feralem noluit eſſe torum,*
*Méque etiam vetuit Paphias appendere Myrtos,*
*Thuráque ſuppoſito ferre cremanda foco.*

*At quando haud potui veteris tibi pignus amoris*
*Præſtare extremum, vel dare juſta rogo,*
*O ſaltem liceat fido tibi marmore poni,*
*Quæ vix è lacero pectore verba traho:*
*Æternùm valeas tanti pia cauſſa doloris,*
TV DECVS ANTE MEVM, NVNC MIHI NVMEN ERIS.

# PETRI PVTEANI
## VIRI CLARISSIMI, ET IN SANCTIORI REGIS CONSISTORIO COMITIS

BIBLIOTECA NAZ. ROMA

### *ELOGIVM.*

PETRVM PVTEANVM elogio celebrare non tam privati ſcriptoris officium eſt, quàm omnium quotquot literas clariùs profitentur; nec ab ejus commendatione abſtinere poſſunt, niſi qui virtutem ipſam merita laude fraudari velint: Is enim fuit quem in exemplar probitatis, candoris, illibatæque in amicitia fidei,

etiam meliori ſæculo proponere non dubitem; cujúſque patrocinio ac ſtudiis tantum Muſæ debent, quantum cuivis unquam. Egregiam illam virtutis indolem, ac de literis bene merendi propenſionem acceperat à clariſſimo patre CLAVDIO PVTEANO inter purpuratos ſupremæ apud Pariſienſes Curiæ meritis ſpectatiſſimo, nec eruditorum fautore modò, ſed & ipſo inprimis erudito. Matrem habuit Claudiam, inclitæ honeſtatis matronam, ex illa Sanguinorum gente, ſeu Togæ, ſeu Infulæ ſplendore Lutetiæ non parum conſpicua; adeo ut à ſuis defeciſſe videretur Puteanus hic noſter, niſi bonas artes & coluiſſet & foviſſet. Hiſce primùm ille præclarè inſtitutus forenſis vitæ genus tentavit, tum ne judiciorum

perſpecta ratio formandæ prudentiæ deeſſet, tum ut negotioſæ profeſſionis comparatione felicem, quem jam animo præcipiebat, inter Muſas ſeceſſum tantò citiùs ſtudioſiúſque proſequeretur. Inde ſibi in earum ſinu tranquillitatis portum conſtituit, à quo nec Fortunæ commodioris blanda ſpe, nec novitatis deſiderio magnis etiam viris plerumque inſito, avelli unquam potuit, cùm ſe ſibi totum aſſerens otio frueretur non molli, non inerti, ſed nobili prorſus, quale à ſapientibus expetitum eſt ſemper, utpote quod in ſui ipſius cognitione, tractandíſque liberalibus diſciplinis ſedulò impendebat. Ac miſſa quidem parum utili (cujus, fateor, ab exteris gentibus meritò arguimur) promiſcuæ lectionis

cupi-

cupiditate, licèt nullam non attigerit, ad hiſtoriam præcipuè, exactámque rerum Gallicanarum inveſtigationem ſe accinxit eo progreſſu, ut à graviſſimis quibuſque viris, Senatoribus, Legatis, & aliis ejuſmodi, quibus Reipublicæ negotia curæ ſunt, de iis frequenter conſuleretur, reſponderétque ille quâ prudentiâ, quâ libertate, ut qui nihil à Fortunâ ſperaret, nihil etiam timeret; vacuus ambitionis & avaritiæ, civis optimus, recti tenax, ac boni publici maximè ſtudioſus. Iure igitur eo nomine ampliſſimam in Aulico Senatu Aſſeſſoris dignitatem, ſolam ferè apud nos hactenus non venalem, in præmium Virtutis à Principe tulit. Iure nunc etiam ſanctiſſimus Senex à Muſis ipſis juſta expe-

ctare poſſit, quibus ut in excelſa mente Sacrarium, ſic in privatis ædibus magnificum Templum non è rudderibus, ſed ex vivis æterníſque nobiliorum ſcriptorum monimentis ſtatuit, ita ut non tantùm Muſarum Myſtes, ſed & Myſtagogus poſſet appellari; ob illam nimirum exquiſitam Bibliothecam ingenti lectiſſimorum voluminum tum excuſorum typis, tum manuſcriptorum copia divitem, nec minori elegantia digeſtam: Vnde cuilibet literarum amanti depromere licebat pretioſos ſcientiarum theſauros, reconditáque Gallicæ gentis acta epiſtolis, legationibus, chartis publicis, & quod alibi nuſquam reperias, autographis paſſim conſignata. Quapropter illuc primi omnium ordinum viri, To-

gati, Chlamydati, ſummíque Eccleſiæ proceres quotidie conveniebant de literis, déque civilibus ſubinde negotiis inter ſe diſſertaturi, cùm ipſe Puteanus Chori Dux, Athenæíque Princeps, eruditas illorum controverſias ſua ſententia belliſſimè temperaret, vices interdum implente IACOBO PVTEANO non minùs ſtudiorum, ac morum conſenſu, quàm ſanguinis, perfectáque totius vitæ conjunctione germano, quo quidem ſuperſtite vix fratrem amiſiſſe putemus. O quot & quàm dulces in illa Virtutis palæſtra tam jucundè quàm innocenter exegi dies! Etenim ſtatim atque exceperant me docti penates, rerum cæterarum oblitum, locíque addictum delitiis inde me ſola nox removebat. Illic ego

Pythagora taciturnior, utpote meæ tenuitatis conſcius, totus oculus, totus auris, ſingula ſingulorum geſta dictáque animo avidiſſimè recondebam, neque dies ullus effluebat, quin aliquo novæ doctrinæ augmento fundulum noſtrum locupletiorem inde factum animadverterem. Subit illius temporis felix recordatio (PVTEANE mortalium humaniſſime) nec animo excidet quandiu vivam, cùm me vix tibi de facie notum, ſed aliquod ſolùm ingenuitatis, ut aiebas, ſpecimen ferentem tuâ benevolentiâ nemini non chariſſimâ dignatus es, & ita proſequutus, ut toto licèt Normaniæ tractu à te poſtea diſſitum luculentis epiſtolis (quæ mihi tanquam cimelia ſervantur) identidem recreares, paucis ipſe die-

bus antequam nobis eripereris, exoptatum me diutiùs abeſſe non ſemel conqueſtus. Illud quidem mihi grave ac dolendum, viri tanti, & ergà me egregiè animati ſuprema verba non excepiſſe, quæ cùm magnifica ſemper, tunc certè ſacra, & abeuntem in æternum non ſalutaſſe. Ille per totos tres menſes ſtomachi vitio laborans, accedente ad id febre ac difficilis anhelitûs incommodo; pertæſus inſuper (quod mihi paullo antè ſcripto ſignificaverat) turbulenti temporis, quo recrudeſcens in hominem tranſalpinum Magnatum odium tranquillitati publicæ inſidiari videtur, in tutam Beatorum ſedem vir pius, nec multò ſeptuagenario minor pacatè ſe recepit anno ſupra milleſimum ſexcenteſimum quinquage-

ſimo primo, menſe Decemb. Funeratus eſt Lutetiæ in æde Divi Coſmi bonorum omnium luctu, piiſque eruditorum encomiis conſectandus.

## CLARISSIMI VIRI
# PETRI PVTEANI
## PIIS MANIBVS
## EPIGRAMMA.

*QVo nunc ferali* PVTEANVS *conditur antro*
*(Si fortè Abderæ ſomnia vera Sophi)*
*Ex hoc ceu puteo non ſolùm educere verum,*
*Aſt etiam Charites, Pieridéſque licet.*

## *SONNET.*

PASSANT, quand tu ſçauras que ce petit
Tombeau
Sert au docte DV PVY de triſte ſepulture,

Tu ſçauras qu'il contient tout ce que la Nature
Pût enfanter jamais de plus digne & plus beau,
Sa prudence aux conſeils comme vn brillant flambeau
Des accidents futurs perçoit la nuë obſcure,
Et ſa rare candeur non moins libre que pure
La relevoit encor d'un éclat tout nouveau.
Eſprit fort & ſublime, inacceſſible au vice,
Ennemy capital de l'injuſte artifice,
Et l'aſſeuré ſecours des hommes vertueux.
D'un veritable ami le plus parfait modele;
Innocemment pourtant en ce poinct infidele,
Qu'il trahit par ſa mort noſtre eſpoir & nos vœux.

## DE PETRO ET IACOBO PVTEANIS FRATRIBVS.

TYNDARIDAS *poſſim* PVTEANOS *dicere Fratres,*
*Summa ſatos Virtus quos probat eſſe Iove;*
*Quos amor & ſanguis nexu junxêre perenni,*
*Ambo Phœbæo ſydera fauſta gregi.*

*Hoc diſtant, quod non Pollucis Caſtor, at arte*
*Víque immortalis fiat uterque ſuâ.*

LA LVZERNE GARABY.

# IN CLARISSIMVM
# PETRVM PVTEANVM
# EPIGRAMMA.

PACIS *amans, Rectíque tenax, ſibi templa locavit*
*Cujus in auguſto pectore cana Fides;*
*Pax ubi fugerúntque ſimul Rectúmque Fidéſque,*
*Iis comes & terras tu,* PVTEANE, *fugis.*
*Præda fit everſum ventis luctantibus æquor,*
*Et Francam lacerant efferа bella ratem:*
*Flere jubes, Patria, inſanis nam mergeris undis:*
*Flere vetas, portum nam,* PVTEANE, *tenes.*

## ALIVD.

MOESTA *tuum credas* PVTEANVM, *Gallia, mortem*
*Pallentéſque Erebi jam ſubiiſſe lacus?*

Dignum laude virum Muſa vetat mori,
POLLENS GARABII Cœlo Muſa beat.

DE BRIEVX.

# PIIS MANIBVS
## CLARISSIMI VIRI
# PETRI PVTEANI,
## IN ELEGANTISSIMVM ELOGIVM,
Quod æternæ eiuſdem memoriæ
D. D. C. ANTONIVS LUZERNÆUS GARABIUS.

VRBIS *amor, dominæ qui Civis & inclytus Vrbis,*
*Inclytus & patriis laudibus, & propriis:*
*Artibus, ingenio præſtans, ac moribus aureis;*
*Ergóne debueras, ô* PVTEANE, *mori!*
*Nempe ſolo excedis, cùm jam maturus Olympo,*
*Nec tua quò Virtus progrediatur habet.*
*Aſt animæ tantùm pars unius una receſſit,*
*Vivit adhuc Frater, téque obiiſſe vetat.*
*Omnia par Frater, qui te ore, & moribus iiſdem,*
*Artibus & doctis, ingenióque refert.*
*Fama ſuperſtes adhuc manet, æternúmque manebit,*
*Certat & in laudes docta caterva tuas.*
*Te Præco inprimis celebrat, qui vividus acri*
*Ingenio, necnon ore ſtylóque potens.*
*Tu talem haud poteras Virtutem augere, nec ipſa*
ELOGIO *poterat nobiliore cani.*

ANTONIVS HALLEY, Regius Eloquentiæ Profeſſor in Academiâ Cadomenſi.

X

# LETTRES
## DE MONSIEVR DE BALZAC
## ESCRITES A MONSIEVR DV PVY ABBE' DE S. SAVVEVR,
## Sur la mort de Monſieur ſon Frere.

*Ce 20. Ianuier 1652.*

MONSIEVR,

*I'ay ſceu par les lettres que nos amis m'ont écrites la perte que nous avons tous faite. Monſieur voſtre frere eſtoit noſtre pere commun. C'eſtoit un bien univerſel dans le monde qui n'eſt pas barbare. Il n'y a perſonne qui ſçache lire, qui ne ſoit obligé de le pleu-*

*rer. En mon particulier j'avois receu une infinité de faveurs de cette ame bienfaiſante. Au dernier voyage que ie fis à Paris, ie connus ſes richeſſes, & me ſentis de ſa liberalité: il m'ouvrit ſon cœur en m'ouvrant ſon cabinet: mais avec une franchiſe ſi éloignée des reſerves du temps preſent, que ſi ſa memoire ne m'eſtoit extremément chere, je vous avoüe que j'aurois eſté peu digne de ſon amitié, & que je ne meriterois pas la continuation de la voſtre. I'ay donc pour le moins ce droit de pretendre à vos bonnes graces, fondé ſur la gratitude que je conſerve pour les perſonnes qui m'ont aimé. Mais d'ailleurs, Monſieur, vous me devez vouloir quelque bien, puis que je ne me laſſe jamais d'en dire de vous. Veritablement je ne trouve point en cela de*

*contradiction : mais je ne trouve auſſi perſonne qui parle plus haut que moy. Et dans l'eſtime generale que le monde fait de voſtre vertu, eſtant un des mieux perſuadez, vous me ferez juſtice, ſi vous me faites l'honneur de croire que le plus aſſidu de vos Courtiſans, & le plus touché de voſtre affliction, n'eſt pas plus que ie ſuis,*

*Ce 7. Mars 1652.*

MONSIEVR,

*Ie ſuis tout plein des belles choſes que vous m'avez fait la faveur de m'envoyer. A l'heure meſme que je les receus, j'en fis part à Monſieur le Marquis de Montauſier. Il eſt auſſi bien que moy, un des Devots de la memoire de feu Monſieur voſtre frere, & nous ſommes demeurez d'accord, que*

*cét excellent frere ne pouvoit pas eſtre mieux loüé qu'il a eſté. A mon gré il ne ſe peut rien voir de plus net, de plus ſage, ny de plus Romain que ſon Oraiſon funebre. Je la nomme le couronnement de ſa vie & de ſa vertu; Et cét heureux mort, duquel il a eſté dit*, ſupremus felicitatis ejus cumulus acceſſit, laudator eloquentiſſimus, *ne fut pas en cela plus heureux que luy. Il eſt certain que nous luy devons tous beaucoup, & en mon particulier je ſuis bien faſché de luy rendre ſi peu que je fais. Mais comme vous ſçavez, l'inſpiration n'eſt pas en la puiſſance du Prophete: Les Muſes ne viennent pas toutes les fois que l'on les appelle. Elles ne pouvoient pas me plus obliger qu'en cette occaſion, & je ne les ay jamais invoquées de ſi bon cœur.*

*Dieu veüille qu'elles m'ayent inſpiré quelque choſe qui merite de vous plaire. Si cela eſt, je leur promets de ne les importuner de dix ans; & je les quitte de toutes les faveurs que je pourrois leur demander durant ce temps-là. Quoy qu'il en ſoit, agréez cette petite marque d'une grande paſſion, & faites moy l'honneur de croire, que je ſuis & ſeray toute ma vie,*

*Ce 17. Avril 1652.*

MONSIEVR,

*Puis que je vous ay pleû, je n'ay pas ſujet d'eſtre mal ſatisfait de moy-meſme. Voſtre eſtime me paye ſuffiſamment de tous mes travaux: Et parce que ce n'eſt pas la grande reputation, mais la bonne que je cherche, je ne brigue point la faveur du peuple,*

*mais je fais beaucoup de cas de la voſtre. Trouvez bon pourtant que je vous die, que mon intereſt ne m'attache point ſi eſtroitement à vous, que mon inclination & que mon amour. Vous me gagnaſtes le cœur, dés noſtre premiere converſation. La pureté de vos mœurs me parut un original dans la corruption de celles du ſiecle: & voyant que le celebre Cabinet n'eſtoit pas moins ouvert aux gens de bien qu'aux gens doctes, je ne le conſideray pas plus comme le theatre de la gloire, que comme l'aſile de l'innocence: la mienne s'y refugiera, toutes les fois qu'elle ſera perſecutée. Mon Socrate ne veut point d'autre Prytanée que celuy-là. Et s'il ſe trouvoit quelque mauvais interprete de mes bonnes intentions, vous ayant de mon coſté, je ſuis deſia aſſeuré du*

*mauvais ſuccés de ſa calomnie. Par tout où vous preſiderez, il n'y aura point d'Anitus ny de Melitus qui ne perde ſon procés. I'attens impatiemment ce que vous me promettez de Monſieur Rigault, & demeure avec paſſion,*

MONSIEVR,

Voſtre tres-humble & tres-obeïſſant ſerviteur

BALZAC.

PETRI

# PETRI PVTEANI VIRI ILLVSTRIS IN SACRO CONSISTORIO Regis Conſiliarii MEMORIÆ.

HEv *nimbis gravidas nubes! Quos undiq; fluctus*
*Aſpicio, irati qualia tela Iovis!*
*Felix cui vixiſſe datum eſt: Hunc Fata benigna*
*Immunem tantis eripuere malis.*
*Non ſcelus armatum, leges non vidit inermes,*
*Preſſáque deformi Gallica colla jugo:*
*Dedecus hoc nec tu, Puteane, aſcriptus Olympo,*
*Nec cernis Graia quæ parat arte Sinon:*
*Cum Superis habitas, melioríſque incola Mundi,*
*Infima dum turbant, otia lætus habes.*
*Et portu & votis frueris; Nos æquore vaſto*
*Perdimus ad læſos irrita vota Deos.*
*Falſa tamen cecini vates: Mala noſtra metúſque*
*Ætherea tutò celſus ab arcè vides.*
*Haud te credibile eſt ſortem ignorare tuorum,*
*Nec tenet ignavus te ſuper aſtra ſopor;*
*O, Puteane, vides ægri nova vulnera regni,*
*Et patriæ tangit te pia cura tuæ.*
*Quin ergo Cœlum omne moves, rerúmque Parenti*
*Commendas ipſo Lilia nata Polo?*

*Ne ſacros Aquilo flores vel Sirius urat:*
*Sint procul externâ ſparſa venena manu:*
*Oramus, ſtet Borbonium per ſecula nomen,*
*Gentis & æterna vivat in orbe decus:*
*Horreat Hectorides cognata atque impia bella,*
*Mens una, & poſthac una ſit illa domus.*
*Hîc toto Puteano opus eſt: Hîc exere ſolers*
*Ingenium, & fandi quicquid in arte vales.*
*Supplicibus ſupera verbis cœleſtia corda,*
*Et tuus Hectoreos urgeat ardor Avos;*
*Imprimis Ludovicem illum, cui ſternimus aras,*
*Cui radiis cinxit maxima Roma caput:*
*Imponat finem belliſque iræque Nepotum,*
*Taléſque auguſto fundat ab ore ſonos,*
PARCE PRIOR, SCEPTRVM ET FASCES CVI IVRA DEDERE,
ARMA MANV SANGVIS PROIICE DIRA MEVS.
SAT MARTI FVRIISQVE DATVM: FELICIOR ÆTAS
SECVROS VIDEAT LENIVS IRE DIES.
*Si tantos, Puteane, potes componere motus;*
*Te ſuaſore redit ſi fugitiva quies;*
*Hæc merita in Patriam Galli celebrabimus, & te*
*Vt colet Indigetes Gallia grata ſuos.*

Viro optimo & ſapientiſſimo amico incomparabili
I. L. GVEZIVS BALZACIVS P.

# IN OBITVM PETRI PVTEANI IN SOLATIVM IACOBI ELEGIA.

HOSPES *ab externis procul, ô qui plurimus oris*
*Ad* PVTEANORVM *nobile limen ades,*
*Siſte gradum; temerè mæſtis neu te ingere tectis:*
*Stat nec enim veteri priſtina forma loco.*
*Facta pios inter triſtis ſeceſſio Fratres,*
*Alter ab alterius corpore vulſus abeſt.*
*Nempe ſacram Coſmæ* PETRVS *conceſſit in ædem;*
*Quâ ſitus eſt; iſtam ſic quoque ſignat humum.*
*Regales pluteos, Regníque arcana* IACOBVS
*Servat adhuc, tantam ſolus habétque domum.*
*Si tamen illuſtres ambis intrare penates,*
*Doctorum alloquiis doctus & ipſe frui:*
*Ne pete quò* PETRVS *divorterit; iſta* IACOBVM
*Confoderet telo mentio dira novo.*
*Sufficiat quod in hoc tu fratre ſuperſtite cuncta*
*In ſolidum alterius munia fratris habes.*

*Quippe macris dum mens erumperet integra membris,*
*Se merito nitens erigerétque polo.*
*Extemplo à charo fuit intercepta* IACOBO:
*Pronus & hanc avido funditus ore bibit.*
*Ergo duæ vivent uno iam pectore mentes:*
*Vnica vox, facies una duabus erit.*
*Quin potiùs mens corporibus diviſa duobus,*
*Vnum collectis partibus una tenet.*
*Docta cohors, ſolito ne porrò abſiſtite cœtu.*
*Túque libenter ad hæc ſacra, Viator, adi.*
*Hîc priſcæ fidei genius viget: exulat iſtinc*
*Omne ſcelus, ſceleri fraúſque gemella ſacro.*
*Hîc toto quicquid geritur, deciditur Orbe:*
*Omnigena huc etiam Civis ab orbe venit.*
*Diſſideant quocunque Duces, populíque duello;*
*Æternùm hîc patriæ vividus ardet amor.*
*Hîc decus, hîc virtus. & libertatis honeſtæ*
*Ara queat nullo tutiùs eſſe loco.*
*Læſerat antiquos ſi quæ ſententia mores,*
*Si qua parùm cautis vox malè lapſa labris,*
*Diſtractus quamvis, non hanc,* PVTEANE, *tuliſſes;*
*Iſſet in authoris protinus ora pudor:*
*Hos animos, hanc perſonam nunc indue, & iſtud*
*Regnum cum reliquis cerne,* IACOBE, *bonis.*
*Nec de fraternis tibi quid decreſcet amicis:*
*Quantum habuit, tantum tu quoque iuris habe.*
*Dum loquor, en proceres adeunt. en plurima præſtat*
*Turba fidem verbis officioſa meis.*

*Fratribus, ô Fratres, æterna exempla daturi:*
*Civibus, ô Cives, forma ſequenda probis.*
*Appendenda piis veſtra eſt, ſi credar, imago*
*Porticibus, claro & conſtituenda foro.*
*Concordes ſed enim ut fuerint toto ordine vitæ,*
*Diſtulerit mentes cauſa nec ulla duas:*
*Sint* PVTEANORVM *tamen hæc diſcrimina fratrum,*
*Iudice me, tumulo quæ ſuper eſſe velim.*
*Abfuit à triſti lenis gravitate* IACOBVS,
*Deformi fortis* PETRVS *ab obſequio.*

CAROLVS OGERIVS.

# HADRIANI VALESII
# IN
# PETRI PVTEANI V. CL.
# OBITVM
# ELEGIA.

IAMPRIDEM *reſides elegos abiectáque tento*
*Carmina, nec tacitum me ſinit eſſe dolor.*
*Vixdum Sirmondum extulimus, quo doctior alter*
*Non fuit, & toto notus in orbe magis.*

*Iámque novum nobis indicit Parca dolorem,*
*Triſtia continuans funera funeribus.*
*Eripitur caris clarus* PVTEANVS *amicis,*
*Deficit & patriæ lumen amórque ſuæ.*
*Cuius ego raras coner ſi dicere dotes,*
*Succumbet rerum pondere victa chelys.*
*Non hic maiorum titulis nec laude parentum*
*Intumuit. quamquam ſanguine celſus erat.*
*Inclyta ſuſpexit* PVTEANI *Curia patrem*
*Inter purpureos fundere verba Senes.*
*Suſpexit gratis variantem iura Camœnis*
*Quæ tunc doctorum floruit ampla cohors.*
*Dotibus at natus patrem ſuperavit, ut annis:*
*Et voluit propriis enituiſſe bonis.*
*Omnia ſumma viro. procerum corpus, & altæ*
*Frontis honos; gravitas nubila nulla ferens;*
*Ingenium velox, nec frigore fracta ſenectæ*
*Ignea vis animi, judiciíque vigor;*
*Integritas vitæ; vitiis nec parcere ſueta*
*Simplicitas, veri juſtitiæque tenax.*
*An referam, quo ſe ſtudiis ardore dicârit?*
*Aut fuerit patria quantus in hiſtoria?*
*Non hunc victa ſitu veterum monumenta latebant,*
*Si qua vel annoſo cortice ſcripta forent.*
*Archetypæ non membranæ fugêre ſagacem,*
*Decolor haud fugit pulvere charta manum.*
*Excuſſi annales, tabularia publica viſa,*
*Et quæ privati continuêre lares.*

*Non oculis poterat, non umquam parcere nummis,*
*Singula transſcribi dum ſibi lecta iubet.*
*Fœdera cum trucibus norat percuſſa Britannis,*
*Et quâ cum noſtris lege Batavus agat.*
*Et quibus Hiſpanos Francóſque quieſcere pactis*
*Contigit, ac telis exonerare manus.*
*Quâ potor Rheni ſe conditione ligârit:*
*Quâ vinctus Francis conditione Padus.*
*Noverat &, noſtri quo quæque repoſcere Reges*
*Iure queant Regno membra revulſa ſuo.*
*Clerus ut immunis fuerit, quantúmve liceret*
*Francica Romanæ ſubdere ſacra togæ.*
*Vera loquor. Teſtes libri, quos morte propinqua*
*Edidit, ut cantus dat moriturus olor.*
*Et quæ præterea non una volumina ſcripſit,*
*Digna indilatâ ſingula luce frui.*
*Teſtes & ſummi Proceres, qui ſæpe peritum*
*De ſummis rebus conſuluêre virum.*
*Filiolum clari ſcires hunc eſſe Pithœi,*
*Cuius & à ſacro nomina fonte tulit.*
*Dedidit his animum ſtudiis: hæc otia curis*
*Prætulit: hac vitam nobilitavit ope:*
*Vtilior patriæ, quàm ſi geſſiſſet honores,*
*Quos ſpreviſſe quidem ſed meruiſſe decet.*
*Vt tamen eximiâ virtutem luce micantem*
*Sæpe vel invitam quærit & ambit honor.*
*Vnica cura fuit* PVTEANVM *viſere doctis,*
*Privatique hominis publica facta domus:*

*Muſarum domus illuſtris, quò vidimus ipſi*
*E magna magnos urbe venire viros.*
*Hos Proceres, hos Pontifices petière penates:*
*Huc & Regali ſanguine cretus iit.*
*Et quæ præcipuè cætum decorare ſolebat,*
*Venit amicorum quottidiana cohors.*
*In quibus excellit ſacro digniſſimus oſtro*
*Gondius, & mentem ſemper in alta ferens.*
*Materies ſermonis erat, quodcumque libellos*
*Fuſa per innumeros nunc monumenta docent:*
*Si qua Palatino veniſſet epiſtola monte,*
*Si quis & à Veneta nuntius urbe recens.*
*Iudicium Auctores, & dicta, & facta ſubibant.*
*Heic ſua laus rectis, heic nota certa malis.*
*Doctior inde domum gaudebat quiſque reverti,*
*Quod ſibi ſepoſitum quiſque referret, erat.*
*Nec ſe Francorum concluſit finibus ampli*
*Pæne incredibilis cultus amórque viri.*
*Trans Alpes etiam* PUTEANI *fama tetendit,*
*Flumina trans Rheni Teutonicúmque fretum.*
*Quis doctus, doctiſve favens hanc venit in urbem,*
*Inqueſalutato te,* PUTEANE, *redit.*
*Dicite vos, Itali; tu, Barberine diſerte,*
*Maxima Collegî gloria purpurei;*
*Vos, Angli; vos, Germani; ditéſque Batavi,*
*Qui colitis Muſas, quos quoque Muſa colit.*
*Dicite nunc, quoties* PUTEANI *limen adiſtis,*
*Dum teritis celſæ compita Lutecia:*

*A vobis celeres quoties venêre tabellæ,*
*Miſſa ſalus quoties, munera miſſa ſimul:*
*Heu! quantùm cuncti dolituri, quóſque daturi*
*Mox gemitus, notum funus ut iſtud erit.*
*Tu quoque bellaces, ingens Chriſtina, Suecos*
*Quæ regis, & doctis nunc nova fata facis,*
*Quæ patriæ, magè quàm ſubolis, vis mater haberi,*
*Eſque Camœnarum reddita virgo parens;*
*Illuſtri virtute viro ſtudiiſque quietis*
*Miſiſti tabulam, munera magna, tuam.*
*Vt qui non poterat ſenior tua viſere Regna,*
*Huic tu quottidie conſpicienda fores.*
*Et nunc conventûs præſes tutelâque præſens*
*Semper ades noſtris inclyta colloquiis.*
*Nec fruſtra externis* PVTEANVM *noſſe cupido.*
*Iſte domi claros efficiebat honor.*
*Longæ cuique viæ fructus, potuiſſe videre,*
*Et pars ſermonum non mediocris erat.*
*Doctus habebatur, qui doctum viſerat, ínque*
*Doctorum cœtu ſederat eximio.*
*Sed neque fama mihi, neque tam doctrina notanda*
*Viſa viri. quamquam viſa notanda fuit.*
*Quàm quòd cuncta ſuis ultrò reſerabat amicis,*
*Lætus nil clauſum, nil habuiſſe ſuum.*
*Conatus iuviſſe bonos gaudebat, erátque*
*Pectus ei, ſicut bibliotheca, patens.*
*Hinc ſua non pauci* PVTEANO *ſcripta dicabant,*
*Auctor & orſorum qui pater alter erat.*

*Credebat periiſſe diem ſibi, ſéque diei,*
*Quo malè vexatis ferre nequîſſet opem.*
*Numquam plus potuit, quàm cùm prodeſſe valebat,*
*Et notos aliquo demeruiſſe modo.*
*Non quærenda mihi longéque exempla petenda.*
*Noſtra domus dictis adſtruet una fidem.*
*Nam cùm fortè parens Locupletum ſcriptus in albo,*
*Proſcriptúſve magis, rure lateret inops:*
*Et ferus exactor laribus iam triſte pararet*
*Exitium immiſsis ferre ſatellitibus.*
*Ille, ſenis ſortem multùm miſeratus acerbam,*
*Auxilio nobis præſidióque fuit.*
*Magnanimum Procerem, quo Curia Principe floret,*
*Moleum properus, ſed meditatus, adît.*
*Et de germano, de me quoque pauca locutus,*
*Quæ res dictabat, quæque iubebat amor:*
*Artibus hæcne bonis, ſtudiis hæc præmia reddi?*
*Hanc mihi mercedem ſolvier Hiſtoriæ?*
*Egit, vt Hemerio precibus ſcriptíſque tabellis*
*Nos commendaret de meliore nota.*
*Mox ſecura quies turbato reddita patri.*
*Et vacuo ceſsit gutture corvus hians.*
*Debuit hoc nobis pater: hoc, Molæe, viciſsim*
*Debemus tibi nos, hoc,* PVTEANE, *tibi.*
*Et numquam ex animis aboleſcet gratia facti,*
*Carmine teſtatum quod decet eſſe meo.*
*Talis in Auſoniis fertur Pomponius oris*
*Ex magnis caros expediiſſe malis:*

*Doctus, honoratus, quamvis contemtor honorum,*
*Factáque Romulidûm pactáque júſque tenens.*
*Sed quid ago, fragilémque mari committo carinam?*
*Quò feror, exigui conſcius ingenij?*
*Non ſi facundus redeat ſcribátque Tibullus,*
*Totum pro meritis te,* PVTEANE, *canat.*
*Clare ſenex, nunc certa quies tibi parta beato,*
*Cujus, dum vixti, ſemper amator eras.*
*Semper ſpreta tibi, magè nunc mortalia temnis,*
*Virtutíſque capis præmia digna tuæ.*
*At nos maturo quamvis te funere raptum,*
*Ceu iuvenem, mæſtis flebimus uſque modis.*
*Candoríſque ſimul, veri quoque funus amoris,*
*Et fatum noſtræ flebimus Hiſtoriæ.*
*Magna tamen luctus nobis ſolatia linquis,*
*Germanum, ſimilem moribus, ore tibi.*
*Cujus me prohibet ſpectata modeſtia laudes*
*Egregias verſu concelebrare meo.*
*Ille tuos referet vultus, retinebit amicos*
*Ille tuos, artes excolet ille tuas.*

# GABRIELI NAVDÆO,

*CAROLVS FERAMVSIVS*

*S.*

MITTO tibi Elegos, doctiſſime NAVDÆE, quos in obitum PETRI PVTEANI V. C. raptim inter forenſes curas exaravi. Næniam proſequor quam inchoaſti, nam in maximo omnium luctu me illachrymabilem eſſe non decuit, qui, tanti Viri amicitiâ uſus, nihil eſt quod eius humanitati & benevolentiæ non debui. Qualiacumque ſunt carmina, habuiſſe poterant gratiam celeritatis, ſi quo primùm tempore effuſa, edere illa mihi per otium licuiſſet; nec enim ignoras quamdiu in capſulis noſtris delituerint, dum, novis ſemper negotiis implicatus, eorum editionem in has uſque vernales ferias diſtuli. Tuum erit illa tueri, qui digna, quæ typis mandarentur cenſuiſti. Bene vale, mi NAVDÆE, aut pòtiùs bene ſpera; nam quis in hac Vrbe bene vàlere queat, in qua nihil ſit, quod videre poſſis ſine dolore? Iterum bene ſpera, quandoquidem bono civi deſperare de re-

gni ſalute ſub feliciſſimo & inviĉtiſſimo Rege non liceat. E Muſæo noſtro Kal. Aprilis, ann. M. DC. LII.

# IN OBITVM
# PETRI PVTEANI V. C.
## ELEGIA.

*DA lachrimas, incluſe dolor, queſtúſque gementi,*
*Qui poſſint noſtris cladibus eſſe pares.*
*Da triſtes Elegos, pia Muſa, & triſtia Vati*
*Carmina, lugentem quæ ceciniſſe iuvet.*
*Abſtulit atra dies* PVTEANVM, *& funere merſit,*
*Neſtoris heu dignum vivere luſtra ſenem!*
*Invidère hominem ſceleratis Numina terris,*
*Patratúmque nefas Gallia noſtra luit.*
*Scilicet in Regem gens impia ſuſtulit arma,*
*Et Populi leges dedidicere pati.*
*Sic olim iratus meritum cùm Iupiter orbem*
*Perdere vindicibus conſtituiſſet aquis,*
*Providus Aſtræam revocavit ad æthera Divam,*
*Atque inter Sontes non tulit eſſe Pios.*
*Flere iuvat tantúmque decus tibi, Gallia, raptum;*
*Vltimáque extincti plangere fata viri.*

*Non illi incelebris plebeiæ ſortis origo,*
*Nataléſque humiles, & ſine luce genus.*
*Patriciâ de gente ſatum teſtantur avitæ*
*Atria conſpicuo ſtemmate picta domûs.*
*Purpura cùm nullo venalis proſtitit auro,*
*Et meritis merces debita ceſsit honos,*
*Antiquâ Pater illuſtris probitate Senator*
*Purpureæ fulſit gloria rara togæ.*
*Clara Atavis Mater, claríſque parentibus orta*
*Sanguiniæ enituit nobilitate domûs.*
*Quinque ſed egregij virtute, ut ſanguine, fratres,*
*Progenies tanto nomine digna fuit.*
*Hi radiis fulſere ſuis, & lampade quinâ*
*Fraternúmque augent congeminántque jubar.*
*Par* SENIOR *Superis, & mentem numine plenus,*
*Dum ſibi ſidereas ſedulus ambit opes,*
*In Carthuſiacæ latebras ſeceſsit eremi,*
*Sollicitus ſoli non latuiſſe Deo.*
*Sed tamen emicuit, quis enim celaverit ignem,*
*Lumine quem gaudet prodere flamma ſuo?*
*Hunc Roma expetiit, ſummáque in ſede locavit,*
*Inſignémque orbi, conſpicuúmque dedit.*
*Hinc curat res* BRVNO *tuas, próque ordine ſancto*
*Excubat ad* PETRI *limina ſancta ſenex.*
*Sic Patrum interpres fidus, pia vota Silentum*
*Explicat, oblatas fértque refértque preces.*
IVNIOR *at ſacri exarſit Mavortis amore,*
*Ac Melitæ eſt ævo præcoce factus eques.*

*O quoties Libycos Turcarum ſanguine fluctus,*
*Ionias quoties commaculavit aquas !*
*Quà Latium infernis, ſuperis quà tunditur undis,*
*Et pelagi trifidam Trinacrin ira quatit:*
*Graſſatus variis latè Scytha prædo rapinis*
*Sub Drepano immanem vim referebat opum :*
*Vltor adeſt Melitæus eques : concurritur armis :*
*Mars ſolitum alternis mortibus urget opus.*
*Dum ſaltu hoſtilem invadis Puteane carinam,*
*Occidis, heu! ſociis triſtia damna tuis.*
*Fratribus, hos inter mediis, ſera abfuit ætas,*
*Injecítque feras mors properata manus.*
*Et tamen exſurgunt cineres, Manéſque ſepulti,*
*Méque ſui immemorem nominis eſſe vetant.*
*Vnus inoffenſo dum vitam tramite ducit,*
INGRÆÆ *meruit munera ſacra plagæ.*
*Alter at auſteri Mavortis caſtra ſecutus,*
*Quæſivit ſummum ſæva per arma decus.*
*Hic in* AVEININIS *pulchra morte occidit arvis,*
*Bella triumphandus cùm malè movit Iber.*
*At fratrum quintus, fratri non degener hæres:*
*Nec mente aut ſtudiis, nec pietate minor.*
*Omnibus ille quidem linguáque & pectore Neſtor,*
*Omnibus hic etiam Neſtor & alter erat.*
*Vt natura pares, vultu non diſpare, ſenſus,*
*Sic pariter Pallas pectora culta dedit.*
*Idem ambobus erat cenſus, communis utrique*
*Gloria, communis vita, labórque fuit.*

*Qualis Tyndarides ſublato Caſtore Pollux,*
*Nunc quoque fraternas ſuſtinet ille vices.*
*Sed quid ego incautus* PVTEANI *illuſtre, Nepotes,*
*Aggredior vobis commemorare genus?*
*Heu dolor! heu mentem Vati malè cònſcie turbas!*
*Et cineri ingratus non memoranda cano:*
*Iſta decent laudis veræ, & virtutis egentem,*
*Quíque ſuâ immeritus luce nitere nequit.*
*Non ita, ſed proprio* PVTEANVS *lumine ſplendet,*
*Vnus & in laudes ſufficit ipſe ſuas.*
*Tot decora, & dotes animi quibus inclytus orbi*
*Claruit, eſt nobis carminis ampla ſeges.*
*Quid memorem antiquos mores, mentémque ſeveram,*
*Et priſcâ cultam ſimplicitate fidem?*
*Quid genium infractum vitiis, rectíque tenacem,*
*Fraudis & occulti neſcia corda doli?*
*Non ille intumuit faſtu: non ambitus illum*
*Extulit: invito ceſſit inemptus honos.*
*Namque Pater* LODOIX *librâ dum dividit æquâ*
*Præmia, privatum non tulit eſſe ſenem.*
*Conſiliis regni arcanis accedere juſſit,*
*Et titulos meritis addidit ille viri.*
*Magna ſuum jactet quantumvis Roma Catonem,*
*Iactet Ariſtidem Græcia priſca ſuum.*
*Par & Ariſtidi, par & probitate Catoni,*
*In patriam innato par & amore fuit.*
*Hinc indefeſſo dum ſceptra labore tuetur*
*Gallica, & Auſonio liberat illa jugo,*

*Quas*

*Quas* LIBERTATES *priſco ſibi Gallia jure*
*Vindicat , & leges aſſerit eſſe ſuas ,*
*Edidit, æternos ventura in ſæcula libros ,*
*Inſtar Palladij regna tuentis , opus.*
*Sic gemini Imperij prudens diſcrimina ſanxit ,*
*Vt pace optatâ poſſit utrumque frui.*
*Sacra ſibi conſtant, conſtant ſibi regia jura ,*
*Nec dubiis ſubſunt illa nec illa dolis.*
*Non Capitolinas Gallus modò conciet iras ,*
*Nec metuit Latij fulmina dira Iovis.*
*Atque adeo inſcripti tam fauſto nomine Libri*
*Vivite , nec mœſti fata timete rogi.*
*Dum dominæ ſtabit* LVPARÆ *inviolabile ſaxum ,*
*Dum regnatrices Sequana fundet aquas ,*
*Vos non ingratus noſter venerabitur orbis ,*
*Gallus & antiquâ relligione colet.*
*Quid modò quanta viro fuerit Prudentia dicam ?*
*Quámque animus ſolers , ingeniúmque ſagax ?*
*Non meliùs ventura illo , caſúſque futuros*
*Proſpexit Pylius poſt tria ſæcla ſenex.*
*Non ille ambages , ſed certa oracula fudit ,*
*Qualia fatidico Delius ore Deus.*
*Inde ſibi Heroes genus alto à ſanguine Divûm*
*Conſilia in mediis expetière malis.*
*Sic tanto ancipites hoc Conſultore potiti ,*
*Vtiliùs fatis conſuluère ſuis.*
*Et trepidam nuper bellis agitantibus Vrbem ,*
*Effera cùm diſcors civis in arma ruit ,*

*Certiùs haud quiſquam monuit, quibus artibus ingens*
*Tot furias inter lis dirimenda fuit.*
*Atque utinam nobis tunc mens non læva fuiſſet,*
*Heu foret æternâ pace parata quies!*
*Regnares* LODOIX *ſtratis civilibus armis,*
*Et tibi vincendus non niſi ſtaret Iber.*
*Nec tolerare tuas iam detrectaret habenas*
*Factio, nectendis irrequieta malis.*
*Sed quò me mea Muſa rapis, mitte impia, mitte*
*Tempora, & heu! Vati dic meliora tuo.*
*Dic quod non taceat ventura Nepotibus ætas,*
*Fœcundum veris pectus amicitiis.*
*Non illum Pylades, non illum vincat Oreſtes,*
*Nulla licèt maior claruit orbe fides.*
*Numquam ille antiqui curam demiſit amici,*
*Officiíque piam ferre negavit opem.*
*Atque alius ſibi lucroſos mercatur amicos,*
*Plebs & amicitias utilitate probet.*
*Adfuit afflictis præſens* PVTEANVS *amicis,*
*Major & adverſo tempore crevit amor.*
*Noviſtis, Proceres, & vos turba inclyta, Vates*
*Qui teritis doctæ limina clara domûs.*
*Tu quoque* SCÆVA, *decus Sanatibus addite Gallis,*
*Inter Conſcriptos lux rediviva Patres.*
*Noviſti* MOTA *Andegavo date ductor Achilli,*
*Qui Pueri mores, ingeniúmque regis.*
*Et tu* LAVNIADE *veri indagator, & index,*
*Addita qui Faſtis Numina falſa doces.*

*Noviſti Græcâ inſignis, Latiâque* GVIETI
*Pallade, qui gaudes conſenuiſſe ſeni.*
*Túque ſalutiferâ* BVRDELOTTI *arte Machaon,*
*Qui modò mortales non ſinis eſſe Getas.*
*Noviſti* NAVDÆE *tuis tot cognite libris,*
*Cui primo exſtinctum plangere cura fuit.*
*Et tu noſter amor,* MENAGI, *quem dexter Apollo*
*Erudiit, Vatem iuſſit & eſſe ſuum.*
*Noviſti, & toto latè teſtaberis orbe,*
*Cùm ſcribes doctâ grandia facta manu.*
*Cætera quis neſcit, quibus, ingens Gloria, nullis*
*Ignotum populis nomen ad aſtra tulit?*
*Miſſus ut Auſtraſiis litem diſcerneret arvis,*
*Redderet & metis Gallica rura ſuis.*
*Antiqui Regni quondam ſine limite limes,*
*Deſiit hoc dubius iudice, ut antè, coli.*
*Ah! quâ non arte, & quo non* LOTHARINGIVS *auro*
*Tentavit magni pectora fida Viri.*
*Arte ſed huic nullâ, nullo expugnabilis auro,*
*Inconcuſſa ſtetit, nec violanda fides.*
*Sic modò ſunt tuti Dominis ſine litibus agri,*
*Et ſua iam certus iugera cultor arat.*
*Gallia cùm victrix repetitis laſſa triumphis*
*Optavit, poſt tot bella, quiete frui.*
*Tantæ molis opus, feſſiſque optabile terris*
*Vna fuit curis debita cura ſuis.*
*Hinc quorum arbitrio mandatæ fœdera pacis*
*Permiſit* LODOIX, *iuſſus es ire comes.*

Aa ij

*Nempe tibi armorum cauſæ, tibi cognita jura,*
*Et quicquid victo poſſit ab hoſte peti.*
*Quas Victor leges, quem paci imponere morem*
*Debuit, hæc unus pandere doctus eras.*
*Et* MINIMIGARDVM *penetraſſes hoſpes ad Vrbem*
*(Tantus erat patriæ pectore fixus amor.)*
*Huc orbe è toto totus convenerat orbis,*
*Staret ut æterno fœdere pacta quies.*
*Sed vetuit morbis exſangue, & debile corpus,*
*Et longæ impatiens ægra ſenecta viæ.*
*Hinc lacrimæ, & toto rediviva incendia mundo,*
*Tiſiphonéque novas intulit atra faces.*
*Nam ſperata quies Populos deluſit hiantes,*
*Omnia dum miſcet fraudibus aptus Iber.*
*Quòd ſi ferrea ſors Gallorum, & fata tuliſſent,*
*Heu poteras tantis obvius ire dolis!*
*Et nunc depoſitis pacata quieſceret armis,*
*Nec gemeret gravibus Gallia preſſa malis.*
*Quæ regit Imperio placidos* CHRISTINA *Suecos,*
*Continet & fortes ſub ſua jura Getas,*
GVSTAVI *proles, & magno digna parente*
*Filia, quam concors Mars & Apollo colunt,*
*Quæ malè contemptis facit aurea ſæcula Muſis,*
*Nec patitur profugas Diues egere Deas.*
*Hæc una in terris, ſpes, & tutela Poëtis,*
*Quæ toto celebres exciet orbe viros,*
*Te* PVTEANE *ſua abſentem quæſivit in aula,*
*Et doluit meritis regna minora tuis.*

*Quò tamen & ſcires Reginam habuiſſe faventem,*
*Grotáque virtuti ſceptra fuiſſe tuæ,*
*Regia te propria donavit imagine Virgo,*
*Et pictam Arctoo miſit ab axe Dea.*
*O munus magnis optandum Regibus vnum!*
*O quæ Cæleſtem tangat imago Iovem!*
*Hæc ædes,* PVTEANE, *tuas Dea ſoſpita ſervat,*
*Notáque felici numine tecta fovet.*
*Hæc beat & doctam præſes divina Coronam*
*Quæ redit in celebres quottidiana lares.*
*Hæc audit facilis, quæ circumfuſa feruntur*
*Colloquia, & nutu temperat illa ſuo.*
*Iámque procul Regum oſores, ſublapſa cavernis*
*Tartareis proles, Eumenidúmque genus,*
*Qui plebis furias, gentíſque infanda Britannæ*
*Crimina ſuſpicitis, carnificéſque manus.*
*Ite procul, Gracchi, doctíque ciere tumultus*
*Falſi Publicolæ, ſeditioſa cohors.*
*Qui miſeros Cives, & ſemper mobile vulgus*
*Non ſinitis domino ſubdere colla jugo.*
*Ipſa Coronatos Reges Regina tuetur,*
*Et Majeſtatis terret imago reos.*
*Atque adeo, lecti Proceres, celebrare frequenti*
*Acceſſu illuſtrem pergite, ut antè, domum.*
*Túque timendorum vindex acerrima Regum*
*Curia, Palladiis perge favere choris.*
*Hîc nulla in Dominas petulantia verba ſecures,*
*Hîc nullis ſubſunt Regia ſceptra probris.*

*Hîc* MILTONÆIS *damnantur condita chartis*
*Dogmata, avernali Dogmata ſcripta manu,*
*Et liber inſcriptum cui* FRANCO-GALLIA *nomen,*
*Et quæque in Reges pagina felle tumet.*
*Sed nimius doctis heu! cœtibus hæreo Vates,*
*Expoſcit luctus dum Libitina meos.*
*Quàm meliùs cineres & lamentabile funus*
*Proſequar exſequiis, inferiáſque feram.*
*Ite ergo in lacrimas oculi, fletúſque perennes,*
*Perpetuóque graves imbre madete genæ.*
*Ite, & ferales imo de pectore queſtus,*
*Nec parcat mœſtis Nænia mœſta modis.*
*Ecce iaces gelido exanimis* PVTEANE *feretro,*
*Parcáque te ſtygiâ nocte ſuperba premit.*
*Obruit, heu! vultúſque graves, ſparsítque tenebris*
*Eximium frontis mors inimica decus.*
*Nec modò ſcribentem, Populis ſpectabimus ultra*
*Promere inexhauſtâ Gallica jura penu.*
*I, pullos induta habitus, & præpete pennâ*
*Funeris inſoliti nuncia Fama vola.*
*Nulla ſit in terris flendæ gens inſcia mortis,*
*Et regio ingenti nulla dolore vacet.*
*Qui vivus totum implevit virtutibus Orbem,*
*Lugeri toto mortuum in Orbe decet.*
*Sic bene dum noſtris luget* CAPELANVS *in oris*
*Phœbi deliciæ, Calliopéſque decus,*
*Dúmque tibi extremos,* PVTEANE, *inſtaurat honores,*
*Sepoſitâ grandi, quâ canit arma, tubâ,*

*Dum* VALESIADÆ, *Fratrum par nobile, mœrent,*
*Diſparibúſque modis flent, ſed amore pari,*
*Dum quoque* BALSACIVS, *Gallorum gloria Vatum,*
*Ad patrij lentas ingemit amnis aquas,*
HEINSIADES *orbis qua parte morabitur hoſpes,*
*Non indefletum te,* PVTEANE, *ſinet.*
*Itala te tellus, tellus Germanica planget,*
*Et quæ Parrhaſio terra ſub axe tumet.*
*Te, ſi qui Regis ſunt puri cæde* BRITANNI,
*Téque* CALEDONII, *te* BATAVIQVE *gement.*
*Te* LVSITANVS *quà volvitur aurifer amnis,*
*Te flebit, Gallis ſit licèt hoſtis, Iber.*
*Nec tibi opus tumulo fuerit,* PVTEANE, *ſepulto:*
*Namque tibi tumulus fama perennis erit.*
*Et tamen inſcriptum legat ætas poſtera Carmen,*
*Ne violet cineres impia turba pios.*
VLTIMVS HÎC SITVS EST GALLORVM,
GALLIA LVGE,
NAM TIBI, CVM PERIIT, DESIIT ESSE SALVS.

# AD CLARISSIMVM VIRVM IACOBVM PVTEANVM *DE MORTE FRATRIS* CONSOLATIO.

*ET meritò. quis enim,* PVTEANE, *immitia ceſſet*
*Fata queri? aut poſſit lacrimas cohibere ruentes?*
*Ille decus patriæ, & morum certiſſimus index:*
*Ille ævi veteris ſpecimen, bonus arbiter æqui,*
*Atque altus virtutis apex: magnóque parente*
*Laude prior. Muſarum oculus, pectúſque Minervæ;*
*Lux tibi, & à puero vitæ jucunda voluptas,*
*Optima pars fratris, frater, prô crimina Parcæ*
*Occidit, & dirâ abrupit tot vincula morte,*
*Quæ dudum junxêre animos: cui credere curas*
*Fas erit? aut mentis deinceps aperire receſſus?*
*Heu! quibus alloquiis rerum faſtidia, & æſtus*
*Concoquere! ac triſtes extremi cardinis annos!*
*Cuncta ſimul pereunt: nam quæ ſolatia reſtant?*
*Exhauſit mors una domum. Te vulnere primo*
*Conficit, atque unum eripiens, rapit omnia, fratrem.*
*Cogit & in luctu reliquam te agitare ſenectam.*
*Nec lugere veto: Lacrimis ſed confero planctus.*

*Solve*

*Solve comam infelix vates: tua tempora circum*
*Taxus eat. queſtu libeat ſatiare dolorem.*
*Quæ jam, quæ ſupereſt veræ probitatis imago?*
*Iunge tuos gemitus quiſquis ſacra noſtra frequentas,*
*Auſonios Graióſque choros. ſeu carmine mulces*
*Heſperias, Rhenúmque trucem; furialiáque arma*
*Effreni Tameſis. patriam ſeu ſuſpicis Arcton,*
*Sithoniáſque nives habitas: laribúſve relictis*
*Per pelagi extrema, & gelidos Aquilonis hiatus*
*Pallada lætus adis Geticam, ditéſque triumphos,*
*Ac facili ſequeris manſuetum ab Apolline Martem;*
*Nam quæ non ſtudia, atque animos dolor iſte laceſſat?*
*At vos præcipuè docto quos Gallia nutrit*
*Alma ſinu, lamenta decent. date fræna querelis,*
*Plangat Arar, triſtéſque modos iam Sequana tollat,*
*Et latè in populos diſcors concurſet imago.*
*Lugubrem impellat cantum Rigaltus, & udas*
*Vrgeat inſtaurare vices: hinc Balzacus, illinc*
*Succinat Hallæus: tum cætera turba ſequamur.*
*Congemat omnis ager, nemo hæc conſortia, nemo*
*Fugerit, extinctus niſi quorum in pectore ceſſit*
*Et pudor, & virtutis honor. Quò nos tamen æſtus*
*Abripit! ah? fruſtrà laſſamus brachia planctu.*
*Occidit. & gelido jam marcida membra ſepulcro*
*Ignorant gemitus; animúſque receptus Olympo*
*Emicat, atque iterum revocatus carmine nunquam*
*Devolet in terras. Superûm ſibi plaudit in arce:*
*Ac tenebrarum expers, & ſole micantior ipſo,*

*Terrenâ nec mole gravis, vagus errat in orbes,*
*Sideribúſque inſiſtit ovans: mixtúſque beatis*
*Cœtibus, uſque Deo fruitur: mortalia longè*
*Deſpicit, atque hominum curas miſeratur inanes.*
*An fas non placito, Puteane, inſiſtere fletu?*
*Immo, ait, anxietas me veſtra, dolórque quietum*
*Sollicitat, turbántque graves bona gaudia luctus.*
*Téne repentino, fratrum dulciſſime, caſu*
*Noſtri oppreſſerunt abitus? ſcis ipſe, ſepulcro*
*Debita præda ſumus. vix lævo naſcimur ortu,*
*Vix natura hebetes miſeris circundedit artus,*
*Cùm fœtum informem jam vellicat invida morſu,*
*Inque dies urget ſpatiis brevioribus ævum.*
*An quemquam exemit pietas? an gloria vitæ,*
*Egregiúſ-ve labor? lex omnibus æqua, Thuanum*
*(Fas cognata loqui) eripuit; licèt alite fama*
*Latè orbi invectus, ſtudio, & virtutibus ingens,*
*Hectoridûm egregios in ſecula conderet actus.*
*Non honor ullus Avum. Non te, pater optime, recti*
*Cultus amor, nec certa fides, non juſta tenellæ*
*Vota domus, conjúx-ve inſons à funere texit.*
*Ante diem, & medio vitæ de limite raptum*
*Inter amicorum planctus, leſſóſque frequentes*
*Extulimus, propriiſque animam tranſmiſimus aſtris.*
*Ne fata incuſes. juſti mihi terminus ævi*
*Contigit, ad querulæ faſtigia prona ſenectæ*
*Subſtitimus: placidóſque dies hæc ſancta coronant*
*Gaudia; quò recidunt toties jactata piorum*

*Dogmata, ſi quatiat ſenſus inſania rerum?*
*Angeris, & viduos quereris tibi currere ſoles:*
*Cui ratio dux eſt, animúſque excultus honeſto*
*Sufficit ipſe ſibi. cinctum ſe malit amicis,*
*At caruiſſe poteſt. ſe oblectat, & utitur uno:*
*Imperiúmque ſui retinet, mittítque quod extra eſt;*
*Egregiâ inſtabiles animi premit arte tumultus*
*Nec patitur ſolida rationem è ſede moveri.*
*Vulgus amat molles gemitus, ſequitúrque dolorem;*
*Mox idem exundat, cùm ſpes & gaudia rurſum*
*Se referunt. Sed tu caſu ſublimior omni*
*Effuge fluctivagis rerum ſervire procellis.*
*Quæ fuit antè, tuum firmet conſtantia pectus:*
*Fortè quidem major nunquam concordia fratres*
*Iunxerat, aut melius fratrum pia pectora numen:*
*Lætus at in præſens animus, ſolérſque fruendi*
*Temperies, caſus patiendo infringit acerbos.*
*Non deſideriis ſinit extabeſcere mentes,*
*Non vano trepidare metu. ſtat pectore ſemper*
*Læta quies, ſarcítque novo diſpendia fructu.*
*Quid doleas, ſi munus obit natura, vicéſque*
*Authori famulata ſuo? Tibi ſcilicet ille*
*Rerum ordo cedat, verſúſque inſerviat orbis:*
*Quid doleas? propriúmne periit, ſi reddere fas eſt*
*Depoſitum? Chorus ille ſubit, Sophiæque Senatus,*
*Quem colis, & ſancto anguſtat tua limina cœtu.*
*Mille vnum reparant. ſortem circumſpice, in alta*
*Luce habitas. Lux illa tuos defendere mores*

*Te jubet. obſervant alij quæ pectora præſtes;*
*Quid mens pulſa ſonet. ſolito ne cede labori,*
*Sed juvet egregia rerum in ſtatione morari.*
*Non ſecus increpitet, Puteane, ex æthere lapſus,*
*Indiges ille tuos gemitus, mentémque jacentem*
*Erigat. obſequere, illuſtréſque reſumito curas.*

PETRVS HALLE' Doctor vtriuſque Iuris, Poëta & Interpres Regius.

# ELEGIA
## IN OBITVM VIRI ILLVSTRIS
## PETRI PVTEANI
### AD IOANNEM CAPELLANVM V. C.

ETSI *me genitor Muſæ tenet Arnus Hetruſcæ,*
*Arnus Apollineâ nobilis unda lyrâ;*
*Et modò fœcundam tot miror vatibus urbem,*
*Et modò fert tacito rus geniale ſinu;*
*Mens tamen omnis abeſt ad Gallos verſa penates,*
*Inque Capellani pectore fixa ſui.*
*Hîc gratam ſtudiis requiem, gratámque labori*
*Invenit; hîc curis portus, Amice, meis.*

*Te licèt Aureliæ pia Virginis arma morentur,*
*Caſtráque fœmineâ cæſa Britanna manu;*
*Magna ſonaturam precor amolire Thaliam,*
*Et procul heroï ſit tibi cura pedis.*
*Nunc opus eſt Elegis; Elegis opus. illa dolori*
*Æqua meo Muſa eſt: convenit illa mihi.*
*Ibimus in lacrymas. Puteano carmina rapto*
*Poſcimur. Invidiâ, Mors, iacet ille tuâ.*
*Muta premunt viduos domino lamenta penates,*
*Atriáque Aonio ſemper aperta choro.*
*Cortinæ quæ, Phœbe, tuæ tripodéſque ſonabant,*
*Hei mihi, quàm diſpar nunc domus illa ſibi!*
*Hauriat hos gemitus facili pater Arnus ab unda.*
*Fallimur? an rapidæ lentiùs itis aquæ?*
*Nec ſic tangit amor, mihi quo, Puteane, ſuperſtes*
*Iunctus eras; (quamvis hic quoque tangit amor.)*
*Vt ſolidi vallo munitum pectus honeſti,*
*Cordis ut invicti robur, ut illa fides;*
*Vt frons obſequij fuco non tacta doloſi;*
*Párque ſuis animis lingua, memórque ſui;*
*Ingenuúſque rigor, qualem nec in ore Catonis*
*Martia laudavit Roma, piíque Numæ;*
*Vt dignum genitore decus magnóque Thuano*
*Sanguinis; ut paci mentis amica quies.*
*Cuncta movent lacrymas; lacrymis iactura levatur.*
*Certior in tantis nulla medela malis.*
*Quod ſupereſt laudi, pro me monumenta loquantur,*
*Nunc quoque queis patriæ vivis in ore tuæ.*

*Quolibet illa magis monumenta perennia ſaxo,*
*Vtilis hiſtoriæ temporibúſque labor.*
*Fata domant chartæ, non interitura ſupellex:*
*Atropos hic victam tendit avara colum.*
*Multus in his poſt te ſpectabere. nulla vetuſtas,*
*Nulla tibi meritum tollet in orbe dies.*
*Gratáque dat nobis ſolatia frater, ademti*
*Maxima qui ſupereſt pars, Puteane, tui.*
*Spirat adhuc morum concordia, ſpirat utrimque.*
*Iuris in hanc habuit Parca profana nihil.*
*Fratris in alternos veneramur imagine vultus:*
*Tam bene te nequeas ipſe referre tuis.*
*Ille animam appoſito properantem admiſit in ore*
*Decolor, avelli viſus & ipſe ſuâ.*
*Ille tibi exequias, & iturum in ſæcula buſtum,*
*Tutáque ab ætatis dente ſepulchra dedit.*
*Sic & Amyclæos ab Averno gurgite fratres*
*Mutuus, invito Dite, redemit amor;*
*Sidera Amyclæos nautis placidiſſima fratres,*
*Et nunquam dubiæ non bene viſa rati.*
*Denique ne toto viduus ſibi fratre putetur,*
*Nunc pro te fruitur laudibus ille tuis.*
*Floribus & tumulum Cirrhæa per avia lectis*
*Spargit, & Aoniâ turba ſodalis aquâ.*
*Fructus amicitiæ pulcherrimus obtigit umbris,*
*Inferiis vacuum ne tibi funus eat.*
*Et bene habet, quod morte tua memorabere felix,*
*Ne foret immerito bis patienda tibi.*

*Non temerata diu pia lumina ſontibus armis*
*Ad conſanguineum ſuccubuere nefas:*
*Et tantum metus iſte fuit. Lætemur ademtum.*
*Flebilior quavis nunc nece vita foret.*
*At tu, tam clari quid neſcia funeris hæres,*
*Verſa tuas in te, Gallia cæca, manus?*
*Noxia quam tabo populari paſcit Erinnys:*
*Attonitum Stygio cui ſecat angue latus.*
*Huc ades; huc. ſi cura tui tibi nulla medetur,*
*Crede ſacram, tegitur qua Puteanus, humum.*
*Tuta ſolo conſtet reverentia: ſanguis ab urna*
*Omnis eat procul hac, hac procul omne ſcelus.*
*Otia ſi bellum lacrymis civile negavit;*
*Publicus abrupit ſi pia juſta furor;*
*Non intellecto nunc ſaltem cede dolori,*
*Ferrea, nunc laceras, Gallia, velle comas.*
*Sat Furiis, miſeranda, tui Parcíſque dediſti.*
*Plurima Tænariam quid gravat umbra ratem?*
*Projice cognato ſaturatum ſanguine ferrum:*
*Auſpiciis miſeram ſit pudor eſſe tuis.*
*Ergo alius non eſt, alius, maleſana, negatur,*
*Qui tibi ſanguineo Marte triumphus eat?*
*Vſque adcóne ferus Thrax occidit? hoſtis Idumen,*
*Tótque erepta tuis mænia, nullus habet?*
*Nec longè quærendus Iber, latus enſe cruentum*
*Qui petat. hac meliùs læſa ferêre manu.*
*Quo tot in Advatico ſudatas pulvere lauros?*
*Quo Pyrenæis clauſtra revulſa jugis?*

*Stagnáque Teutonici populata bicornia Rheni?*
*Anne, invicta aliis, ut tibi præda fores?*
*Dii melius! Dii bella procul ſcelerata relegent,*
*Inque tuos hoſtes hoc, precor, omen eat.*
*Sin minor eſt medicina malo, dirúſque peredit*
*Effera fraternæ viſcera cædis amor;*
*Da ſaltem votiſque locum lacrymíſque tuorum,*
*Et mea ſit pietas non odioſa tibi.*
*Hæc moveant te juſta, trahant hæc pignora noſtri,*
*Gallia funeribus non ſatianda tuis.*
*Ipſe det Elyſiis veniam Puteanus ab umbris:*
*Defleri cineres gaudeat ipſe tuos.*
*Magna boni civis Puteanus fama togæque*
*Æquâ poſthabitum ſe tibi mente feret.*

NICOLAUS HEINSIUS, DAN. F.

# IN OBITUM
## VIRI CLARISSIMI
# PETRI PUTEANI.

*ME quoque multa gemens urget,* PUTEANE, *Thalia*
*Concinnare graves ſed minùs apta modos.*

*Téne*

*Téne Elegis ego ducentem ſuper æthera nectar*
*Sollicitem? Aonias non bene potus aquas.*
*Inclyta quem Pindi flerunt tot lumina vates,*
*Flevit inornatâ Phœbus & ipſe lyrâ.*
*Flere tamen certum eſt, placito indulgere dolori*
*Et juvat, & lachrymas non tenuiſſe pium eſt.*
*Si quis ades rectique tenax, & cultor honeſti,*
*Virtutis ſi cui pectora pulſat amor.*
*Erumpe in queſtus, heu caſus acerbior orbi*
*Non erit, in luctus uberiórque ſeges.*
*Nec patriæ vaſto celatur limite, mærent*
*Cæleſtem noſtris diſſita regna virum.*
*Quà terris amat Aſtræa, & quà ſancta ſorori*
*Iuncta fides, verum, quà pietáſque coli,*
*Audiri gemitus, denſiſque uda ora querelis*
*Incuſare graves rumpere fila Deas.*
*Qui mihi pro Thraſeis, cunctíſque Catonibus, unus*
*Reſtiterat, mihi jam, prô fera fata! perit.*
*Protendi ſpatiis meruit majoribus ætas,*
*Debuit & Pylij vincere luſtra ſenis.*
*Sed Parca invidit, ſolito quæ crimine ſummis*
*Detrahit, & longùm ſtare maligna negat.*
*Illa tamen virtus, quæ te ſuper extulit omnes,*
*Grande parat cineri non moritura decus.*
*Qualis Cecropiis Anyti reus occubat oris,*
*Cujus honos ævum multus in omne viget.*
*At longè titulos anteis, pia cura ſepulchri,*
*Quæ fratrem, & totum nunc Helicona movet.*

*Nec domus orba ſilet : doctis ſed, ut antè, Minervâ*
*Præſide, colloquiis atria pulſa ſonant.*
*Fraternos & adhuc illuſtrat ſtella penates,*
*Altera fraterno ſtella nec igne minor.*
*Rupta tuæ quamvis fuerint commercia vocis,*
*Parte tui dabitur, ſed meliore frui.*
*En frater vultus reddit, ſpirantiáque ora:*
*Et fratrem elatum vix periiſſe ſinit.*
*Fas ſibi habere ſuum cæleſtia numina civem,*
*At noſtrum hîc longos fas ſupereſſe dies.*

IAC. AUG. PERROT.

# ALEXANDRI MORI CARMEN

## IN OBITUM CLARISSIMI PETRI PUTEANI.

CUM *noſtro caderet Puteanus amabilis orbi,*
*Vellet & alternas frater obire vices;*
*Protinus icta malo, graviúſque afflata periclo*
*Horruit erectis Gallia tota comis.*
*Me licèt hoſtis Iber laceret, civiliáque arma,*
*Hoc etiam, hoc tantum ſentio vulnus, ait.*
*Ipſa ſuum pectus rerum ſanctiſſima Virtus,*
*Et ſua flebilibus contudit ora modis.*

*Ipſa licèt ſemper rigido Conſtantia vultu*
*Dicitur inflexo robore, viſa queri.*
*Flebant Aonides, flebat Tymbræus Apollo*
*Et Themis, & Themidi non aliena Fides.*
*Tunc primum Charites riſum tenuêre, nec ullum*
*Numen erat, quod non ureret ille dolor.*
*Neſcio quis Batavis vates peregrinus in oris*
*Hos dedit arguto ſedulus ore modos.*
*Turba ſile, lachrymáſque tuas in tempora differ*
*Illa, tibi nullus cùm Puteanus erit.*
*Flere nimis fratrem frater vetat; ille beatus*
*Aſtra tenet, noſtram ſed beat alter humum.*
*Tale quibus ſupereſt duplici de lumine lumen,*
*Hos puto de miſera vix bene ſorte queri.*

## ÆGIDIO MENAGIO V. C.

*GABR. NAVDÆVS.*

IN maximo luctu, qui mihi tecum & bonis omnibus, ob incomparabilis Viri PETRI PVTEANI mortem communis accidit; non potui ego, *Clariſſime Menagi*, non eas lacrymas fundere, quas negabat quidem natura; ſed

dolor expreſſit. Si tibi fortè placuerint, eiuſmodi rerum, ut certè aliarum omnium acerrimo Cenſori, aut veriùs, cùm tibi placere in tanta jactura nihil poſſit, ſi minùs illæ rudes, & incomptæ viſæ fuerint, erit profectò mihi aliquod in lacrymis iſtis ſolatium: ſecus, negare ſaltem non poteris, quin veræ ſint, & ex animo potiùs quàm oculis fuſæ. Quanquam nec iſtæ defuerint, cùm me certus de Puteani morte nuntius oppreſſit. Vale.

## IN CLARISSIMI VIRI
# PETRI PVTEANI
## OBITVM
## ELEGIA.

CVM *ſemel Odryſii toleravit ſceptra Tyranni*
*Græcia, delitias fundere docta chely;*
*Ipſa Camœnarum laceratis turba capillis,*
*Deflebat vitæ triſtia fata ſuæ;*
*Nec faciles poterat labiis inflare cicutas,*
*Grandia nec tragico dicere verba pede.*
*Sed profugis certos* COSMVS *reperire penates,*
*Securíſque dedit vivere Pieriis.*

*Vnde novum ſubitò cœpit* Florentia *cultum,*
*Soláque tunc* Pîcos, Marſiliúmque *tulit;*
*Maximus inde* LEO, *triplicem cui Roma galerum,*
*Quòd tribus hic regnis imperet, alma dedit:*
*Has gremio errantes patulo ſuſcepit, & ævum*
*Quale ſub* Auguſto *reddidit iſte ſuum.*
*Æmula ſed virtus* FRANCISCI, *neſcia rebus*
*Ferre parem magnis, hac quoque laude viget,*
*Quòd caput hoc regni populoſa* Lutetia, *libris*
*Nobile Cecropiis tunc fuit emporium:*
*Et modò ſic noſtris colitur Parnaſſus in oris,*
*Vt nec Athenæis cultior extiterit.*
*Atque ita numinibus fundata Academia tantis,*
*Vnica ſemideis poſtea cura fuit:*
*Quos inter merito primos ſibi poſcit honores*
Pinellus *ſacri laus columénque chori:*
*Nec minor in Veneto celebravit fama* Molinum,
*Quem juvenis vidi tradere jura foro,*
*Atria nam doctis, ſeu frigida mitteret illos*
*Torrida vel tellus, pandere ſunt ſoliti.*
*Sic quoque* Pereſcus *Muſarum captus amore*
*Innumeras, ipſis munera, fudit opes,*
*Vnde priùs nullo tantum decus excidet ævo,*
*Vltima quàm terris fax dabit exitium.*
*Sed quid Socraticis referam conatibus artes,*
*Iſtorum excultas præſidióque virûm,*
*Si tribus his meritis major* PVTEANE *mereris,*
*Quàm Trias iſta tulit grandius Elogium.*

*Luctus obeſt fateor, ſed Carminis auctor Apollo*
*Major agit noſtras in tua vota deas,*
*Flere vetant Muſæ, remanet cùm fama ſuperſtes,*
*Aut ſi flere juvat, carmina ſint lacrymæ.*
*Sed quis Hyantea vates celeberrimus arte*
*In tua nunc potis eſt tangere facta chelyn?*
*Quas Eratho cytharis voces ſociare canoris,*
*Quódve melos poſſet fundere Calliope?*
*Non tot Apollineus decoratur floribus Hemus,*
*Caſtalius non tot lilia Pindus habet,*
*Non tot Narciſſos, non tot fert terra hyacinthos,*
*Tot violas Peſtum non tulit atque roſas;*
*Vt dignam meritis nectant* PVTEANE *corollam,*
*Aut Cineri imponant mollia ſerta tuo.*
*Nam quis Palladias coluit præſtantiùs artes,*
*Et tua non preſſit limina docta pede?*
*Delphica quis petiit dubiis oracula rebus,*
*Nec tulit hæc* PVTEI *certius à Tripode?*
*Omnibus inde virum viſendi animoſa cupido,*
*Veridico dederat cui Deus ore loqui,*
*Et qui non poterat* Semonis *tangere dextram*
*Hunc adiit lepidis creber epiſtoliis,*
*Sed quod* Pinelli, *quod non fecere* Molini,
*Quæ neque* Pereſco *cura labórve fuit,*
*Hic ſua tranſmiſit propriis oracula cartis,*
*Quæ celebrat reſona* Gallia *tota tuba.*
*Et dedit hic variis, ſibi quos tractabat amicus,*
*Optima quæque notans, grande decus calamis.*

*Huic quoque librorum, docuit quos cudere* Fauſtus
Arte Moguntina, *copia mira fuit:*
*Nec minùs antiquos properabat quærere libros*
*Impiger, aut nitida ſcripta notata manu:*
*Quæ bona cùm variis reſeraret lætus amicis,*
*Pegaſis inde ſibi mella legebat apis.*
*Vos quoque ſpirantes Pario de marmore vultus*
*Ducere queis laus eſt, pingere vel tabulis,*
*Omne decus veſtrum, laus omnis, funere tanto*
*Excidit, & nullo ſtat reditura die.*
*Nam meritis ſummos veſtris tribuebat honores,*
*Et pretium vobis qui daret unus erat.*
*Sed quid ego aggredior tumido dare carbaſa Ponto?*
*Fortia quid magni dicere facta viri?*
*Sit ſatis è titulis quibus hic micat arduus, unum*
*Millibus è multis dicere, ſitque ſatis,*
*Quod neque ſupremos, aut ambitioſus honores,*
*Aut inconceſſas arte petivit opes.*
*Non aliter vixit, quàm ſi pretioſa fuiſſent*
*Secula temporibus reſtituenda ſuis.*
*Scilicet iſta ſuo fuerat natura* Parenti,
*Qui palmam Pindo rettulit atque foro.*
*Illi forma gravis ſuberat, facundia verbis*
*Æmula Priſcorum, nec probitate minor.*
*Omnia quæ teneris coluit ſic noſter ab annis,*
*Quod pater hîc rurſus, cur moriatur habet:*
*Sic* PVTEANE *tibi fluxit felicior ætas,*
*Sic ſine labe decor, ſic ſine nube dies.*

*Sic diuturna fuit Lacheſis tibi rumpere fila,*
*Nec te mortalem credere viſa fuit:*
*Scilicet inſignem virtutum fama tuarum,*
*Vivere te faciet maxima poſt obitum.*
*At tu Cælicolis magnum decus addite Divis,*
*Dum tua nectareo proluis ora favo,*
*Dum novus Elyſium velut alter Tyndaris altum*
*Incolis, & patrii negligis acta ſoli:*
*Hic ſibi qui noſtros poſt te retinebit amores,*
*Quíque ſuos reddet Tyndaris alter adeſt,*
*Tyndaris alter adeſt, greſſum revocate Camœnæ,*
*Parcite iam lacrymis, Tyndaris alter adeſt.*
*Hic dabit afflictis rurſum ſolatia vobis,*
*Et dabit hic ſolito nos Helicone frui.*

# IN OBITVM PETRI PVTEANI VIRI CLARISSIMI REGI AB INTERIORIBVS CONSILIIS

## *SCAZON.*

*TV quæ Beatis alteram Viris vitam,*
*Reducíque reddis decore Heroibus Fata:*

*Quæ*

*Quæ nil ſepultum, & nil relinquis obſcurum*
*Hæc quidquid ætas Parnaſſo obtulit dignum*
*Memori ferendum ævis ſequentibus cantu:*
*Pennâque priſco ſcribis æmulâ cælo,*
*Quo marmori vel durioribus cupris*
*Exempla perditæ inſculpſere Virtutis,*
*Quos juſta traxit admiratio, Vates,*
*Hæc Muſa poſteris ſtupentibus narra.*
*Ereptus Orbi eſt magnus Arbiter Famæ*
*Et literarum, juris horridi ac priſci,*
*Rerúmque quidquid exît aut redit gnarus,*
*Antiquitatis promecondus abſtruſæ,*
*Et reſtitutor ingenî ſeneſcentis;*
*Scrutator ille veritatis exactus;*
*Incognitum cui nil libri nec occultum*
*Aut Curia ingens proferebat, aut Aula:*
*Et qui canalis in modum ſalutaris*
*Quoſcumque rectis ſenſibus, probos ſaltem,*
*Scientiæque purioris afflatu*
*Facilis, modeſtus, liberalis implebat.*
*Arcana rerum ſæculi novi ac priſci,*
*Sed cuilibet ſuo noſcenda pro captu,*
*Iuſtíſque variè diſtributa menſuris*
*Vir comis, æquus, ac prudens propinabat.*
*Obvius apertum pectus, dánſque Muſæum:*
*Quin eruditi per commercij nexum*
*Sodalitatis jura longiùs cultæ*
*Humanitatíſque hoſpitalis extendens*

*Officia, quorum Apollo præcipit leges,*
*Gregis merebat dicier parens docti.*
*Ille inquilinæ cujus in domo Muſæ*
*Vltra Lycæi conſecrata dictabant*
*Æternitati verba, quæ pii Reges*
*Populis juberent; quas Senatus, & turba*
*Cuſtodiendas ſumerent ſibi leges.*
*Quem Themis alumnum, maſculo imbuens ſucco,*
*Dicéſque ſanctæ prædicanda majeſtas*
*Placidè gravi ſeveritate jucundum,*
*Malis verendum, & innocentiâ gratum*
*Etiam ſuperbis: ut ſummè probis charum,*
*Vtrique Fortunæ exhibebat æqualem.*
*Non fulgurante pallium micans oſtro,*
*Nec faſtuoſum funeri dat ornatum,*
*Quam purpuratus liquerat parens, Sella.*
*Sat dignitatis propriíque ſplendoris*
*Puteanus ipſe congeſſit ſibi vivens*
*Cunctis Magiſtratus ipſe altior curis,*
*Induſtriæque pertinacis exemplum:*
*Recti tenax: frænator invidi dentis:*
*Et advenis ſuperfluas, amicíſque,*
*Laborioſis otiis dicans horas,*
*Studio reliquit nullam inutili partem.*
*Oſor ſuperbæ mentis, & mali faſtus,*
*Fœdíque luxûs, improbíque livoris:*
*Facilis minori: ferre doctus æquales,*
*Quos offerebat cæca largitas ſortis.*

*( Quando negabant mente Dî pares ullos )*
*Majoribus ceſsiſſe, quos Tribunali,*
*Vel admovebat proximis ſolî curis,*
*Non error imperî, ſed dignitas ortus.*
*Nec inquietus, aut licentiæ aſſertor,*
*Aut ſervitutis aſſentator indignæ*
*Puteanus, hoc agendo diligi cunctis,*
*Sortem feroci ſæculo attigit raram.*
*Sed Temperantiæ, Benignitatíſque,*
*Sinceritatis idem candidus cultor,*
*Pridem exules terrâ, oblitáſque virtutes;*
*Simul æquitatis, & modeſtiæ ſummam*
*Potuit ſtupenti nec miraculis ſueto*
*Inferre cælo conſcientiæ laudem.*
*Sic vixit ille; quódque gloriam ſupra eſt,*
*Cunctos honores reſpuens, & Minervæ*
*Beatioris præmia, & togas pictas*
*Tranquillitate deſpicatus invictâ,*
*Hanc ſponte fugit doctos, quæ trahit merces,*
*Vulgíque plauſus, & ſui ſequacem auram.*
*Sibi; ſuis, Vrbi, ſic omnibus vixit.*
*Sed vixit eheu, ſæculóque ſubduxit*
*Intaminatam labe ſæculi Mentem:*
*Quæ nunc Thuanos inter, Elysî campis*
*Felix vagatur; fabuláſque crudeles*
*Et nos Tragœdos fronte reſpicit purâ.*
*Nam quicquid Orbis hic fovet tenebrarum,*
*Et quicquid opprimit corpuſculi pondus*

*Lux ſempiterna, lux beata diſcuſſit.*
*Radiÿ niteſcunt crinibus, vacillantem*
*Cœleſte robur fulcit: induit numen*
*Ipſum ſenecta: temporúmque tranſgreſſus*
*Iniquitates, & vagas vices rerum,*
*Superbiæ theatra, criminum ſedes,*
*Calumniarum tecta, vim malignantûm,*
*Regum furores, Imperantium fraudes,*
*Cives profanos, invidóſque rumores,*
*Tumultuantem ſqualidi orbis orcheſtram,*
*Mundo remotus evolavit immundo.*

*Ingentis Vmbræ pars adhuc tamen reſtat,*
*Sed quanta nobis? ſanguiníſque cognati*
*Et prima, digniórque portio Frater,*
*Redintegrator Artium, atque Muſæi:*
*Quem cùm videbat Petrus, alterum ſeſe*
*Deſiderantibus ſolatium certum*
*Spondens amicis, publico bono natum*
*Gaudebat ipſe vivere adhuc ſuum nomen:*
*Et quando amabat, eruditior Virtus*
*Specimen fidelitatis optimum antiquæ*
*Illi domeſticum præbere gaudebat.*
*Hunc Muſa ſolum nunc interpretem nacta*
*Reſponſa primis paria Oraculis reddes:*
*Nulli negabis aditum, gloriam nulli.*
*Legum datores hîc, Sophi hîc, greges vatum,*
*Hîc curioſi abſconditi Orbis, aut noti*
*Reperta gaudent, pulpitíſque diſpoſta*

*Monumenta centum, tot voluminum claſſes,*
*Archiva, chartas, ſyngrapháſque Primatûm,*
*Exſcripta, ſymbola, ac tabulas ſigillares,*
*Diplomatúmque tot cadentium ceras.*
*Secunda nominis ſic gloria æterni*
*Splendore ſat ſuo luſcam domum exornat:*
*Quódque in duobus mirum colligens uno,*
*Præſentis, abſentíſque duplicat famam:*
*Helenæque fratrum ad inſtar ſidere alterno*
*Sua partiuntur lumina & ſolo & cælo.*

AMPLISSIMI ET SAPIENTISSIMI VIRI

# P. PVTEANI

SACRI CONSISTORII COMITIS

## EPICEDION

Ad vnanimem & ſimillimum Fratrem.

STIRPIS *vetuſtæ germen excelſum* PETRVS
PVTEANVS, *eheu Literæ, heu Frater, jacet!*
*Patre ille tanto nobilis, Matre optimâ*
*Quæ vidua ſecli vixit, & ſexi decus.*
*Et décora ſenos Filios, Natas duas*

*Totius inſtar recti honeſtique extulit.*
*Laudes Avorum laude cumulavit ſua,*
*Laudéſque* PATRIÆ, *cuius exponit* SACRA,
ET LIBERVM IVS, LIBERAMQVE ECCLESIAM,
REGISQVE IVRA, *Varro, Polyhiſtor, Cato.*
*Quo plura nemo, nemo meliora & ſciit*
*Et ſcripſit, uni cunctus ut aſſurrexerit*
*Illuſtrioris ille doctrinæ chorus.*
*Hic Literarum nomen & Gentem; undique*
*Et orbe quicquid cultum & humanum fuit,*
*Autoritate nominis, commercio*
*Vſúque & arte fortis amplexus ſtyli*
*Magiſtra doctis norma ſcribendi, & Pharos*
*Longè refulſit. Vos libri, teſtes voco,*
*Sophia volente quotquot hoc ævo edidit.*
*Hunc &* THVANVS *Galliæ æternum jubar,*
*Et cum* PITHOEIS SCALIGER, CASAVBONVS
*Puerum approbarant Phidiæ ut primam manum.*
*Majórne ſtudij gloria, an morum extitit,*
*Haud facile dictu. quanta depoſiti fides?*
*Concredidiſſes te minùs tutò tibi.*
*Quàm pura pietas! quis merendi promptior!*
*Ecquis alienis rebus abſtinentior!*
*Ecquando major mentis ac linguæ fides!*
*Synceram amavit nemo virtutem magis.*
*Plus nemo facinus odit, aut decus improbum.*
*Huic rigida, prudens, æqua libertas ſtetit;*
*Palam improbavit probra, laudavit proba,*

*Licèt æſtuaret turgida jnvidiæ lues.*
*His ſibi revinxit optimum quemque artibus.*
*Te ſumme cuſtos juris, & princeps Togæ,*
*Molæe teſtor: cui ſagax animus virum*
*Et amatà virtus junxit invicta fide.*
*At queis ſuperſtes ſpiritus vitæ manet,*
*Hunc ſinite tacita, ut ſemper, & functum quoque*
*Veri, Boníque conſcientia frui.*
*A te ſit uno venia laus, uno, Deus.*

*Doctorum quantum toto ſpectaris in orbe;*
*Et probus, & ſapiens quiſquis es, adde gradum.*
*Imò ſiſte gradum; jacet heîc* PVTEANVS, *& illi*
*Dic bene, vivo omnes cui bona cuncta boni.*

Quo ille deceſſit D. XIV. Decembr.
An. REGIS ÆTERNI M. DC. LI.

I. T. A. Reg. Prof.

# PETRO PUTEANO,
## LITERATORUM ERGA LITERATOS OFFICIOSISSIMO.

COMPLEXUS *meritis terrarum ingentibus orbem,*
*Anguſta ſitus eſt hic Puteanus humo.*
*Multa viro debent Germanus, Belga, Britannus.*
*Tu quoque vix ſolvas nomina, Galle, tua,*
*Nec nihil Auſonius benefacti civis ab illo,*
*Nec nihil Hiſpanus, ſit licèt hoſtis, habet.*
*Denique quiſquis erat, ſeu doctus, ſive paratus*
*Diſcere, munificam ſenſit amicus opem.*
*Ipſi adeo de ſe manes ſenſere merentem,*
*Curavit libris quos ſupereſſe ſuis.*
*Namque per hunc tot ſcripta manu nituere, ſuúmque*
*Regia ſervavit bibliotheca decus.*
*Pro quibus officiis, toto jam plurimus auctor*
*Elyſio, grates fundit ab ore pias.*
*Hiſtoricus, vates, orator, quiſque ſuetum*
*Fecit opus. nullis gratia muta modis.*
*Laudibus innumeris reſonant loca læta ſilentum:*
*Plauſus & à doctis manibus uſque datur.*
*I nunc. officium ne redde, ingrate, ſupremum,*
*Cui ſua non umbræ ſolvere juſta negent?*

FRANCISCUS VAVASSOR, S.I.

## EPIGRAMMA.

*QVI modò Pieridum fuerat, Sacríque Senatus,*
*Atque Pariſini gloria prima ſoli,*
*Proh dolor! occubuit Puteanus crimine fati,*
*Et jacet in modico pulvis & umbra loco.*
*Quæ tamen ardenti viguit ſub pectore virtus,*
*Vivit, funereos nec timet illa rogos.*

IS. SARRAVIVS.

# TOMBEAV DE MONSIEVR DVPVY.

## SONNET.

LE celebre DVPVY, qu'auoit pour ſa colonne
Le chancelant honneur de l'Empire François,
Et qui de ſon Monarque eſtabliſſant les droits
Mieux qu'aucun ſur ſa teſte aſſuroit la Courōne;

Voyant de toutes parts les foudres de Bellone
Eclater ſur les lys aimez d'elle autrefois,
Faire branſler le throſne & renverſer les loix,
Previent leur deſtinée & le jour abandonne.

Muſes, qui pour Aſyle aviez ſon noble cœur,
Deſormais que le joug de l'Othoman vainqueur
Opprime la Montagne à la double Colline;

Par tout ce qu'ont vos airs de puiſſant & de beau
Relevez voſtre Aſyle, ou bien ſous ſa ruine
Voſtre immortalité trouvera ſon tombeau.

CHAPPELAIN.

## SVR LA MORT DE MONSIEVR DVPVY.

NOvs le perdons ce veritable Sage
DVPVY de qui l'integrité,
Le ſçavoir & l'humanité
Eſtoient & la lumiere & l'honneur de noſtre âge.

Tout ce qu'on voit de ſçavants aujourd'huy
Le regardoient comme leur guide,

Et jamais la Parque homicide
N'a ravy de mortel plus regretté que luy.

Cét accident met leur ame en detreſſe,
Leur deüil ne ſe peut égaler,
Et ſans le Frere qu'il leur laiſſe,
Il n'eſt rien ici bas qui les puſt conſoler.

## A MONSIEVR DE S. SAVVEVR SVR LA MORT DE M^R DVPVY SON FRERE.

### *SONNET.*

QVE j'ay d'horreur de voir les miſeres publiques,
La ſouffrance du peuple, & le mépris des Loix,
La campagne au pillage, & Paris aux abois,
Et tous mes biens en proye aux armes tyrãniques!

Dans ces malheurs publics, dans ces maux domeſtiques,
Si j'ay perdu le cœur, ſi j'ay perdu la voix,
Puis-je plaindre DVPVY, ce Varron des François,
Ce Heros, adoré des Muſes heroïques?

O de ce vray Pollux, veritable Caſtor,
Dans ce Siecle de fer perdre cette Ame d'or,
C'eſt le comble des maux des Filles de Memoire,

Innutiles efforts de mes travaux divers !
A qui voudrois-je apprendre & ſon nom & ſa gloire,
Si ſa gloire, & ſon nom vont plus loin que mes Vers ?

M. D.C. LII. G. COLLETET.

# VIRI AMPLISSIMI
# CLAVDII PVTEANI
## SENATORIS PARISIENSIS
# TVMVLVS.

*CLAVDIO.*
*PVTEANO. V. C.*

CLEMENTIS. DISERTISSIMI. ORATORIS. AC. IVRIS CON-
SVLTI. EX. NOBILI. APVD. SEGV-
SIANOS. FAMILIA. ORTI. ET
PHILIPPÆ. PONCETÆ. PARI-
SINÆ. MATRONÆ. LECTISSI-
MÆ. QVIBVSCVM. HIC. SITVS.
EST. FILIO. SENATORI. INTE-
GERRIMO. PRVDENTISSIMO-
QVE. CVIVS. SINGVLARIS. E-
RVDITIO. TENACISSIMA. ME-
MORIA. ACRE. ET. INCORRV-
PTVM. IVDICIVM. ACCVRATA.
DILIGENTIA. MORES. SINE. FV-
CO. GRAVITAS. COMIS. HV-
MANITAS. NON. VVLGARIS.
SIC. OMNIBVS. PLACVERVNT.
VT. AB. OMNIBVS PRÆDICA-
RENTVR. QVAS. ETIAM. OB.
VIRTVTES. INTER. DELECTOS.
EX. AMPLISSIMO. ORDINE. RE-

CVPERATORES. QVI. RES. A-
QVITANICAS. COMPONE-
RENT. A. CHRISTIANISSIMO.
REGE. ADSVMPTVS. A. CONIV-
RATIS. PERNICIOSISSIMÆ.
FACTIONIS. MINISTRIS. CVM.
RELIQVIS. ORDINIS. SVI.
QVOS. OB. VITÆ. PROBITA-
TEM. CONSTANTIAMQVE. IN.
FIDE. PERMANSVROS. SCI-
RENT. IN. CARCEREM. CON-
IECTVS. EST. VIRO. INCOMPA-
RABILI. BONO. REIPVBLICÆ.
NATO. SVMMO. OMNIVM. DO-
LORE. ORBI. AC. VRBI. ERE-
PTO. ET. VERE. SENATORIO.
FVNERE. ELATO. CLAVDIA.
SANGVINIA. CONIVX. SEX. FI-
LIORVM. ET. DVARVM FILIA-
RVM. MATER. RELICTA.

HEV. NON. SINE. LACRYMIS.

P. C.

DECESSIT. KAL. DEC. AN. CHRISTI.
CIƆ. IƆ. XCIV. ÆTATIS. XLVIIII.

EX LIBRO CIIX.

# HISTORIARVM IAC. AVGVSTI THVANI.

CLAVDIVS PVTEANVS Clementis in Senatu celeberrimi cauſſarum patroni F. hunc etiam annum morte ſua funeſtum fecit, qui à puero ſub optimis magiſtris Ioanne Stracelio, Hadriano Turnebo, Ioanne Aurato, & poſtea Dionyſio Lambino literis operam dedit, inde jus civile ſub principe Iuriſperitorum Iacobo Cujacio didicit, & variis in peregrinationibus doctiſſimorum toto orbe virorum familiaritate uſus Vrſini, Victorij, Manutij, Sigonij ipſo- MDXCIV.

Ff

rum teſtimonio meruit, ut primas inter literatos teneret, honorificè ubique in eorum ſcriptis appellatus, nam nihil ipſe ſcripſit, judicióque peracri, quo in cenſendis aliorum ſcriptis plurimùm valebat, potiùs alienæ gloriæ, quàm propriæ ſervivit. Demum in ordinem ampliſſimum cooptatus, ut in literatorum conſeſſu, ſic in illo Senatu principem locum facilè tenuit, cunctis ejus incorruptam probitatem, in enodandis juris quæſtionibus profundam doctrinam, in ſolvendis litium tricis ſolertiam ſtupentibus. artiſſimam in Italia amicitiam coluit cum I. Vincentio Pinello patritio Genuenſi omni literarum genere ac rerum cognitione viro excultiſſimo, & Philologorum fautore eximio, quam

crebris officiis, poſtquam domum rediit, ſemper renovans ad mortem uſq; ſervavit. Bellorum civilium incommoda, domo pulſus, conſtantiſſimè pertulit, ac ſine ulla privati ſenſus ſignificatione, in moderata fortuna ingenteis ac ſupra conditionem generoſos ſpiritus gerens, ut quamquam numeroſa prole auctus, tamen alieno prorſus ab omni quæſtu animo vixerit, omnémque rei domeſticæ curam dilectiſſimæ conjugi Claudiæ Sanguineæ, tanquam ſe indignam, reſignaverit. Ad extremum morbo ſtudioſis fatali correptus eſt, ingenti calculorum ſtrue, velut rupe in renibus enata, quæ meatibus intercluſis ventriculum ſubvertit, & optimè de Repub. meritum civem mihi proxima quidem cognatione cum ejus

uxore , ſed longè magis artiſſima ſtudiorum & voluntatum conſenſione cum ipſo conjuncto, & bonis omnibus Kal. Decembr. eripuit. Elatus eſt Senatorio funere , & ad B. Sulpicij in paterno monumento conditus , veris priùs laudibus à viro laudatiſſimo Achille Harlæo ampliſſimi ordinis principe in Senatu laudatus, & poſtea multis multorum carminibus Epitaphiis , quæ à Chriſtophoro, Auguſtino , Petro & Iacobo digniſſimis tanto patre filiis publicata ſunt , deploratus.

## EX V. C. SC. SAMMARTHANO, IN ELOGIIS CLARORVM *virorum.*

AT CLAVDIVM PVTEANVM, quo homine nihil doctius, probius, aut candidius ætas noſtra tulit, commendatione ſua fraudare quis ferat? Licèt enim, qua erat animi modeſtia, ſcriptis inclareſcere nunquam ambierit: ex ea tamen, qua inſigniter vigebat, linguarum & antiquitatis cognitione conjicere facile eſt, non vires illi ſed voluntatem defuiſſe: præſertim cùm in aliorum operibus cenſendis nullus Criticorum eſſet exactior aut acutior. Sed illa perfecti judicii vis in eo potiſſimùm elucebat,

cùm ad ſeria converſus in dirimendis hominum controverſiis præclariſſimo Senatoris munere fungebatur. Hoc enim illi optabile contigit, ut Lutetiæ (quæ natalis fuit) inter purpuratos patres merito ſuo conſpiceretur. Majora enim adepturus, ſi per invaletudinem licuiſſet: quæ à ſtudiorum vigiliis contracta, & miſerabili rerum Gallicarum ſtatu (quo vir patriæ amantiſſimus graviſſimè commovebatur) identidem aucta, ſingulare illud hominum politiorum decus nobis ante tempus eripuit. Annum enim vitæ agens quadrageſimum nonum ex atrociſſimis calculorum doloribus, quibus tenue corpuſculum intus penè totum ſcatebat, proximo poſt urbem Regi reſtitutam anno extinctus eſt.

# CLAVDII PVTEANI V. C.

## ELOGIVM

*AVTHORE IO. PAPIRIO MASSONO.*

IN oppido Forenſium, cui à D. Bardomeri templo nomen eſt, in colle poſito, unde propinquus Liger amnis, & ſubjecta planicies conſpicitur, Clemens Puteanus ex nobili familia ortus, Senatum Pariſienſem poſtea ſequutus, inter Patronos cauſarum, etſi tenui valetudine erat, & ad dicendum minùs firmis lateribus, tamen ſcientiæ juris civilis peritiâ, uſque ad obitum excelluit, relicto herede Claudio majore filio. Hic verò ſub tutela Philippæ Poncetæ le-

ctiſſimæ fœminæ , pueritiæ annos Lutetiæ in natali ſolo liberalium artium ſtudiis addixit , linguæ Græcæ potiſſimum deditus , cujus cognitionem propterea neceſſariam putabat, quòd illâ graves ſcientiæ à magnis & præſtantibus viris perſcriptæ eſſent. Deindè profectus Toloſam biennium in ea juri diſcendo permanſit, & in reditu Biturigum claram urbem ingreſſus ſalutato Iacobo Cujacio Iuriſconſulto celebri, auditorium ejus & publicas interpretationes civilis diſciplinæ amplexus , doctiſſimus , ut optaverat, in patriam rediit , nec diu in ea moratus ſtatuit in Italiam proficiſci ut plura diſceret quàm ſcire videbatur , & eruditorum hominum vultus atque ora , quibus illa provincia per id tempus affluebat , curioſiùs videre , &

cum

cum iis colloqui poſſet, imitaturus ex omnibus eos quorum ingenia doctrinámque magis probaret. Charus igitur brevi & acceptus admodum fuit Florentiæ quidem Petro Victorio ſeni, Venetiis Paulo Manutio, Patavii Ioanni Vincentio Pinello, Bononiæ Carolo Sigonio Mutinenſi, Romæ Marco Antonio Mureto Lemovici; cùm æquè gratus jam eſſet Ciſalpinis Cujacio, Ioſepho Scaligero, P. Pithœo, Iuſto Lipſio, aliiſque quampluribus eruditiſſimis viris, in quorum libris nomen ejus atque eruditionis exquiſitæ raræque teſtimonia quamplurima honorificè reperiuntur, ac propter ſuaviſſimos mores cuivis hominum generi ſuprà quàm æſtimari poſſit chariſſimus, omni vita fuit. Ad hæc felicia inge-

nii bona morúmque delicias acceſſit illi præclarum munus Conſiliarii regii in eodem Senatu, in quo exercendo has præcipuè virtutes ineſſe illi perſpectum eſt, animi magnitudinem in ſententia graviter dicenda, eximiam rerum ſcientiam, & probitatem planè ſingularem, cui reſiſtere ne callidiores quidem auderent; uſque adeo probitati ſemel cognitæ non ſolùm à callidis hominibus, ſed ab impiis quoque ceditur. Ceterum vertendum ei ſolum fuit, cùm defectio civium ſuorum adverſus Henricum III. Regem Lutetiæ facta eſt. tunc verò ad Turonum urbem ſe contulit, etſi rei familiaris diſpendio jacturáque non tenui, quo in loco calculi dolor eum corripuit vexavítque, ac reverſum in patriam compoſito

Vrbis ſtatu multò acriùs afflixit, vitam illi eripiens anno ætatis XLIX. Puteanus igitur pallido ore & modeſto, affabilis, humanus, gratiſſimúſque civibus ſuis atque exteris ne autumnum quidem pulcrum habuit, ante ſenectutem intempeſtivè mortuus Kal. Decemb. ſepultúſque in paterno tumulo intra ædem D. Sulpitij ad urbem Pariſiorum, anno à partu Virginis CIↃ IↃXCIIII. & Senatorio funere elatus.

## EXTRAICT DES REGISTRES de Parlement ſeant à Tours.

*Du Mercredy 24. Iuillet 1592.*

CE jour la Cour les Chambres aſſemblées, aprés avoir leu les Lettres patentes du Roy

données au camp de Villepreux le 29. May dernier, ſignées HENRY, & par le Roy en ſon Conſeil, Forget; par leſquelles pour les cauſes y contenuës eſt mandé à ladite Cour admettre & recevoir Maiſtre Claude Dupuy à l'exercice de l'eſtat & office de Conſeiller en icelle, comme il faiſoit auparavant les troubles: La requeſte par ledit Dupuy preſentée afin d'enterinement deſdites Lettres: Concluſions du Procureur general du Roy; Aprés que ledit Dupuy pour ce mandé a été oüi en ſa preſence, & dit par ſerment qu'il n'a ſigné la ligue, n'a aſſiſté aux procedures faites ſur la mort de Meſſieurs les Duc & Cardinal de Guiſe; à ce pretendu jugement donné contre le Roy à preſent regnant le 14. Octobre; à la reception du Cardinal Cajetan; ny executé les reſcripts & commiſſions des rebelles, ny aſſiſté à leurs conſeils. Luy retiré, ledit Procureur General oüi en ſes concluſions: La matiere miſe en deliberation: A arreſté que ledit Dupuy ſera admis & receu à l'exercice de l'eſtat & office de Conſeiller en icelle comme il faiſoit auparavant les troubles, faiſant le ſerment accouſtumé: Et neantmoins que ſa declaration demeurera inſerée, pour y avoir par le Procureur general tel recours qu'il verra eſtre par raiſon. Et à l'inſtant mandé a iuré de bien & fidelement exercer ledit eſtat, & gar-

der les ordonnances, fait profeſſion de foy, & juré garder fidelité au Roy, & a eſté receu.

---

## EXTRAICT DES REGISTRES de Parlement ſeant au meſme lieu.

*Du Samedi 12. Fevrier 1594.*

### Lettre du Parlement au Roy.

NOSTRE SOVVERAIN SEIGNEVR *tant & ſi tres-humblement que nous pouvons à vos bonnes graces nous recommandons.*

*Noſtre Souverain Seigneur, nous avons deputé vers vous Meſſieurs le Preſident Forget, Scaron & Claude Dupuy Conſeillers en voſtre Parlement, pour recevoir les commandements dont il vous plaira nous commander. Nous avons grande occaſion de loüer Dieu de la promeſſe & ſaincte reſolution que*

*vous avez priſe d'advancer voſtre Sacré qui eſt un royal acte plein de pieté, duquel l'execution eſt ſouhaittée de vos bons ſujets, deſirans de vous voir avec accroiſſement de grandeur ioüiſſant des graces particulieres que Dieu a imparti aux Rois vos predeceſſeurs, qui ne ſont communes aux autres Roys Chreſtiens. La charge que nous avons donnée à voſtre premier Preſident allant vers vous par voſtre commandement, & à vos dits Conſeillers nous retiendra de nous eſtendre dauantage ſur ce ſujet, vous ſuppliant ſeulement avoir agreable ce qu'ils vous diront de noſtre part, & vous nous obligerez d'autant plus à continuer vos bons & fideles ſeruices.*

*Noſtre Souverain Seigneur, nous ſupplions le Createur donner heureux ſuccez à vos tres-nobles & tres-grands de-*

*ſirs, accroiſſement à vos jours, & en toute proſperité longue & heureuſe vie.*

*Eſt eſcrit à la ſuſcription, AV ROY.*

Vos tres humbles & tres-obeïſſants ſujets & ſeruiteurs les Gents tenants voſtre Cour de Parlement.

---

## Lettre du Parlement à Monſieur le Chancelier de Chiverny.

NOSTRE TRES-HONORE' SEIGNEVR, *Nous auons deputé vers le Roy Meſſieurs Forget Preſident, Scaron & Dupuy Conſeillers en noſtre Compagnie nos Confreres, pour receuoir les commandements dont il luy plaira nous honorer, & luy parler de quelques affaires qui nous concernent en particulier; Ils vous parleront d'une, de laquelle il auoit eſté ordonné toutes les*

*Chambres aſſemblées qu'il vous ſeroit eſcrit. Vous nous ferez s'il vous plaiſt cét honneur de recevoir nos remonſtrances & juſtes plaintes en bonne part, empeſcher que la liberté accouſtumée de deliberer des affaires du Roy ne nous ſoit retranchée par moyens obliques, nous continuant ce que les Rois ſes predeceſſeurs & vous avez iugez tres-raiſonnable & neceſſaire pour le bien de leur ſeruice & ſujets nous eſtre conſervé; & nous trouverez touſiours diſpoſez à vous faire tres-humble & tres affectionné ſervice.*

*Noſtre tres-honoré Seigneur, nous prions le Createur vous donner tres-longue & glorieuſe vie.*

A la ſuſcription: *A nôtre tres honoré Seigneur, A Monſieur le Comte de Chiverny Chancelier de France.*

Vos tres-humbles & tres affectionnez ſeruiteurs les Gents tenants la Cour de Parlement du Roy.

EX-

# EXTRAICT DES REGISTRES de Parlement.

*Du Samedy troiſieſme Decembre 1594.*

CE jour toutes les Chambres aſſemblées, les veufve, enfants, parents & amis de defunt Maiſtre Claude Dupuy vivant Conſeiller du Roy en la Cour de ceans, ont dit parlant Maiſtre N. Perrot Conſeiller du Roy & Preſident és Enqueſtes d'icelle, qu'il a pleu à Dieu appeller ledit Maiſtre Claude Dupuy decedé en ſon hoſtel : duquel les vertus & probité doivent le faire vivre à jamais, encore qu'il ſoit hors de ce monde; Et a prié la Cour aſſiſter à ſa ſepulture en l'Egliſe S. Sulpice au Fauxbourg S. Germain. A quoy a eſté répondu que la Cour feroit par honneur tout ce qui luy ſera poſſible, comme elle a de couſtume pour ceux de la Compagnie.

# IOSEPHVS SCALIGER
## PVTEANIS FRATRIBVS CLAVDII FILIIS, de morte eorum patris.

*O lecti juvenes, virtuti nobile germen*
*Succreſcens patriæ: quid me ad damnata redire*
*Sacra Camœnarum, & meliores cogitis annos*
*Reſpicere, ut Phœbi revireſcat priſtinus ardor,*
*Afflatúque novo ſopitos ſuſcitet ignes?*
*At quodcunque fuit, ſi quod fuit, omne doloris*
*Sordibus obſoluit, neque jam ſplendeſcere cultu*
*Suſtinet ingenium, duplici quod funere ſenſim*
*Efferri ſentimus: hebes nam luctibus hinc eſt,*
*Hinc ipſum frangit, quæ frangit cuncta, ſenectus.*
*Vt quondam ſenio rimam faciente dehiſcit*
*Iam putris paries: proprio mox pondere tractum*
*In proclinatas proſternunt flamina partes.*
*Scilicet exequias veſtro ſic ire parenti*
*Hac ope nitentes, hac cultos mente jubetis?*
*Namque ex quo tali vos orbos patre reliquit*
*Nigra dies, turpi macula quæ ſæcla notare*
*Non verita eſt, tanto dum privat ſidere mundum:*

*Ex hoc nulla mihi diffundunt gaudia vultum:*
*Et, quæ ſunt ſolitæ vulgò lenire dolorem,*
*Vel ratio, vel longa dies, harum altera tantæ*
*Iacturæ meritum menti objicit: altera longo*
*Carnifici curæ vires acquirit ab ævo.*
*Vltima reſtabant animo ſolatia victo,*
*Quas à me exigitis, neque me debere fatebor,*
*Dulces Pierides, generoſæ pabula mentis*
*Suavibus in ſtudiis Heliconia ſacra colentis:*
*Qua non eſt animo potior medicina tumenti,*
*Quum dolor egeritur lacrimis, explendáque fletu*
*Cura novis iris omnes effundit habenas.*
*Sed nos Muſarum ſecretum triſte petentes*
*Neſcio quis pravæ dulcedinis efferat error,*
*Abſentis memores figens in imagine ſenſus:*
*Qui dum præteriti convictus computat ævi,*
*Atque ſibi blanditus in omni quærit amicum*
*Hiſtoriæ cumulo, heu quoties objecta figuris*
*Luſit amabilibus memores inſania ſenſus?*
*Nam quocumque meos circunfert lectio viſus,*
*Seu quem juſtitiæ dotes, aut gratia morum,*
*Aut juris commendat apex, aut gloria linguæ,*
*Vnicus occurrit nobis* PVTEANVS *in illis*
*Exemplis decorum: quia, quem congeſta decebat*
*Virtutum ſeries, virtutes vindicat omnes.*
*Sic quæ ſunt curis aliorum nata levandis*
*Ctia Muſarum, lacrimis ſunt pabula noſtris.*
*Et quæ ſunt cunctis medicamen lene laborum*

*Literulæ, nobis coëuntia tempore longo*
*Vulnera reſcindunt, animo quia vana miniſtrant,*
*Qualia fallaces fruſtrantur gaudia ſomni*
*Inſtar ventorum, levibúſque ſimillima fumis:*
*Vt, quoties mihi lecta refert, neque præſtat amicum*
*Pagina, deteſter toties mea numina Muſas.*
*Inde fit, ut, ſi quæ manabat largior olim*
*Caſtalij laticis noſtro de pectore vena,*
*Pauperior fluat, & ſuppreſſo fonte reſiſtat.*
*Vnde igitur verſus, & rapto carmen amico*
*Sufficiam, cui nec Phœbus reſpondet, ut antè,*
*Nec vetus aſpirat vegetantes impetus auras*
*Parnaſſum, & ſacram ſolitas impellere Cirrham?*
*Quòd mihi ſi nullo ſqualerent pectora luctu,*
*Et par ingenium magnis conatibus eſſet,*
*Supremi officii præſtarem jura ſodali.*
*Sed vigil ad curas, ſoliſque adſueta querelis*
*Non venit ad partes toties mihi Muſa citata,*
*Pro verbis fundens lacrimas, pro carmine queſtus.*
*Ne tamen aut pietas, aut, cujus ſancta poteſtas,*
*Claudicet officii pars ulla noviſſima nobis:*
*Huc ades, adjutrix noſtri regina laboris,*
*Et mihi, Melpomene, potiores præcipe Cantus,*
*Fletibus immodicis ſtatuens quis terminus hæret:*
*Quos deſiderio fines, quæ tempora pono.*
*Et quum te in partem lacrimarum ſæpe vocarim,*
*Pone graves gemitus, lamentáque deſine mecum,*
*Funereos lacerata ſinus, immiſſa fluentes*

*Hirta per ora comas, & ſciſſo ſqualliда peplo.*
*Come ſerenatam feſto diademate frontem.*
*Indue purpureo radiantes lumine cultus.*
*Deterſis curis, & pulſa nube doloris*
*Compoſitos manes hilari pietate colamus.*
*Iam laudum, & rerum melior te poſtulat ordo.*
*Sic ego: ſic Diva hoc ſermone ſilentia rupit.*
*Principio Natura parens, quum vellet in una*
*Congerie decorum commercia multa coire,*
*Atque hominem exemplum ſæclis inſigne futuris*
*Parturiens, cujus ſub pectore conderet illa,*
*Hunc humilis vici cæcis vagire latebris,*
*Aut ignorata nutriri noluit urbe,*
*Sed regni domina, quod regnis omnibus orbis,*
*Omnibus Europæ præcellit ut urbibus illa:*
*Vt commune decus, ſociæque inſignia laudis*
*Tam locus à nato caperet, quàm natus ab illo.*
*Regnatrix claræ generoſa Lutetia terræ,*
*Quis memorare tuas ſat digno carmine dotes,*
*Aut laudes æquare queat, quæ debita Muſis*
*Tot pleno toties fudiſti pignora fœtu?*
*Tu generas qui jura regunt, qui legibus urbes*
*Et ſanctis recti populos moderantur habenis.*
*Non alia naſci* PVTEANVS *debuit urbe,*
*Aut potuit, quàm quæ propriis virtutibus illum*
*Excoleret, ſimilémque ſuis formaret alumnis.*
*Protinus altrices linquens infantia cunas*
*Imbuitur ſtudiis, & primo flore, Minerva*

*Eductrice, rudes poliuntur cultibus anni,*
*Excipiunt puerum gremiis florentibus Artes.*
*Ante omnes teneri moderamen ſuſcipit ævi,*
*Quæ docet, ut primo formetur litera ductu,*
*Vt commiſſa ſuis nectatur ſyllaba nodis:*
*Atque per articulos diſtinctáque membra legendi*
*Dædala perpetuam texat ſtructura loquelam:*
*Vtque ſuis pedibus gradientia carmina ſurgant.*
*Huic ſoror exacuens ſtudiis ſolertia corda,*
*Et ſtricto vultum componens pondere vultûs*
*Succedit Critice, pueri quæ ſenſibus omne*
*Cecropiæ & Latiæ reſerat penetrale ſenectæ:*
*Quicquid apud numeros, numeris aut orſa ſolutâ*
*Venturis ſæclis commendavêre papyri.*
*Non illi priſci certaſſet norma Cratetis,*
*Non cujus ſpurios verſus cenſura notavit,*
*Et læſo à mendis obelos impreſſit Homero.*
*Sic furtim ereptos blandis nutricibus annos*
*Erudiêre Deæ, donec vis mentis adultæ*
*Ad magnos ſenſus, gravioráque cœpta vocaret.*
*Tunc Dea, quam penes eſt cultæ facundia linguæ,*
*Quæ dotes oris tribuit, regnúmque loquendi,*
*Induit Actæi puerum Demoſthenis arma:*
*Eloquij florentis opes, momentáque fandi*
*Tradit, & attonitas artem quæ permovet aures,*
*Arbitrióque ſuo moderatur frena coronæ.*
*His ſacris imbutus, ait, pete limina legum,*
*Quæ tibi recludit noſtri fiducia ductûs.*

*Vt rectore carens, & nullo remige tuta*
*Ludibrium venti puppis jactatur in undis:*
*Sic quicunque ſubit Themidis ſacraria Myſtes*
*Lucis egens noſtræ, cunctíſque paratibus orbus,*
*Quos munire ſolent pueris diſcentibus Artes:*
*Excluſus commiſſa luet, quòd mente profana*
*Iuris inacceſſo poſuit veſtigia luco:*
*Et nunquam viſus adytis immittet opertis.*
*Exere vividulos animi ſolertis ocellos*
*Care puer. te jura vocant, arcanáque legum.*
*Te ſua votivum Themis in penetralia mittit,*
*Quæ te purpureis inſertum Patribus olim*
*Signabit meritis, rerúmque imponet habenis.*
*Diſce quis officij limes, quæ regula recti,*
*Quis licito finis, vetitum quæ pœna ſequatur:*
*Qualia bis ſenis tabulis ſanxere Quirites,*
*Aut Prætoris honos, aut Cæſaris alta poteſtas.*
*Artibus excita his homines Aſtræa reviſit,*
*Prætulerit quamvis telluri ſidera, poſtquam*
*Aurea deterius vitiavit ſæcla metallum.*
*His quoque barbarico ſqualleſcere ſæcula ritu*
*Dediſcunt; &, qui voluit feritate timeri,*
*Iura timet. Validum, ſævíſque potentius armis,*
*Vrbibus ut reges, ſic regibus imperat Æquum,*
*Quò magis has, dilecte puer, maturior artes*
*Præcipe corde libens, & totis ſenſibus hauri.*
*Tempus erit, quando tua te ſpectata per illas*
*Auguſto Patrum virtus adſciſcet honori.*

*Dixerat. Obſequiis puerum majoribus aptum*
*Excipit alma Themis, magnis & deſtinat actis:*
*Sacra docet, legum tabulas, & condita jura:*
*Monſtrat, & inſtructo jam civica porrigit arma.*
*Eſt locus, Auſtrinum qua pronus vergit in axem*
*Signifer, & noctes Chelæ cum lucibus æquant.*
*Hîc ſibi, dum priſcas exoſa relinqueret urbes,*
*Conſpicuum poſuit ſignis Aſtræa tribunal,*
*Vnde ſacro totum moderamine temperat orbem,*
*Et ſtringit ſcelerum vindex in crimina numen.*
*Hîc inciſa notis media teſtudine tecti*
*Atque ære ex ſolido legum tabularia pendent.*
*Atria clara domûs dextra læváque tuentur*
*Felices animæ, cælo ſacrata virorum*
*Nomina, purpurei toga quos velavit honoris!*
*Quorum conſiliis tutata eſt Curia regnum:*
*Quos non vis odij, non illice gratia fuco*
*Incolumem juſti vetuit ſervare tenorem.*
*Hos Dea pro meritis in cœli parte locavit.*
*Inter quos (celſa* PVTEANVM *ut vidit ab Æthra)*
*Præcipuæ ſedis loca deligit. Hunc quoque, dixit,*
*Iſta manet ſedes, poſtquam perfecerit omnes,*
*Quos fatis debet, non quos natalibus, annos.*
*Atque utinam poſſet contingere longius ævum,*
*Et tantum vitæ, quantum ſplendoris, haberet.*
*Diis aliter viſum, vitiis qui gentis iniqui*
*Humanæ, ſanctas animas de corpore ſolvunt,*
*Vtque malos mulctent, privant hos luce bonorum.*

*Intereà*

*Intereà, dum culmen ei ſublime paramus,*
*Lucida quà juſtæ fulgent examina Libræ,*
*Et vacat huic ſedes, quam deſignavimus illi*
*Hos inter Proceres, ſuà quos illuſtribus Æthræ*
*Cœtibus inſeruit pietas, cælóque fruuntur:*
*Hunc ſummos meritum virtutis nomine faſces*
*Inter honoratos admittat Curia Patres.*
*Iuridici cœtûs ſecretis actibus adſit.*
*In medio faciat facundus verba Senatu.*
*Nullis occulitur virtus generoſa tenebris*
*Conſpicuum fundens, Pharos vt Nilotica, lumen.*
*Nec* PVTEANVS, *opem quum lapſa negotia quærent,*
*Ignoratus erit; dubiis nam protinus illum*
*Rebus Aquitanæ gentis ad jura repoſcent:*
*Quum lecti Proceres auguſti membra Senatûs*
*Exciti lacrimis afflictorúmque querelis*
*Incorrupta dabunt oppreſſo jura Garumnæ,*
*Mollia præſtantes ſecuris otia terris.*
*Aſt hos pacatis repetentes patria rebus*
*Mœnia feralis tempeſtas civica belli*
*Excipiet. Quantis jactatos illa procellis*
*Heroas ſummos varia in diſcrimina mittet,*
*Quorum pars* PVTEANVS *erit. Quid cætera porro*
*Perſequar? aut potiùs cur facto fine quieſco?*
*Plura Deam memorare (etenim memorare libebat)*
*Et dolor, & taciti vetuit mens conſcia fati,*
*Me quoque, quam meritum grande, & reverentia morum,*

*Atque viri virtus huc perduxere canentem,*
*Hei mihi! quum morbum ſupremáque cogito fata,*
*Hei mihi! deficiunt vires. Nec plura locuta*
*Melpomene, lacrimíſque genas oppleta tumentes*
*Hæſit, & effuſi contraxit vela doloris.*
*Cupreſſum crines iterum pro virgine lauru,*
*Pro lætis humeri velamina triſtia ſumunt.*
*Quò me, Diva, gravi perfoſſum pectora cura*
*Deſeris, infandámque jubes renovare ruinam,*
*Cui par non fueram flendæ? Quid fulmine tanto*
*Dignum concipiam, cui ſingultantia verba*
*Vix medio gemitu vox intercepta miniſtrat?*
*Ignoſce, ô noſtri ſidus memorabile ſæcli,*
*Si pro carminibus, truncarum murmura vocum,*
*Pro cultis elegis, incomptas fundo querelas.*
*Non mihi ſunt, quæ tu quondam laudare ſolebas,*
*Et quia laudabas, cunctis placitura putavi,*
*Carmina, ſæpe tuis quibus eſt audacia verbis*
*Addita, dum claræ metuunt ſe credere luci.*
*Omnia, tu moriens hæc tecum rapta tuliſti.*
*Omnia ferali ſunt tecum condita buſto.*
*O luces, ô quos memini, dum fata ſinebant,*
*Colloquio dulci tecum me condere Soles!*
*O tritos ſermone dies, & ſeria mixtis*
*Alternata iocis! ô quas mirabar adorans,*
*Oblitúmque mei mihi me rapuêre loquelæ!*
*Heu! ubi conditi placida gravitate lepores,*
*Atque ſerenati divina modeſtia vultus?*

*O caſtigati Charitum ſacraria mores!*
*O pietas! ô cana fides! ô mixta bonorum*
*Temperies! Vnus habuit, quæ flemus in uno.*
*At vos ô digni Pylios tranſcendere fines,*
*Et tamen ante diem crudeli funere rapti,*
*Innocui Manes, noſtri libamina luctûs*
*Accipite has lacrimas. Et quos præſtare Camœnæ*
*Non potuêre meæ, pietas compenſet honores.*

# VIRI CLARISSIMI
# CLAVDII PVTEANI
## IN SVPREMO SENATV, dum vixit Conſiliarii
## VMBRA.

Carmen NICOLAI BORBONII.

*QVALITER Æacides, poſtquam fumantia Troiæ*
*Pergama, vis fati, Graiúſque abſumpſerat ignis*
*Victores bello Danaos, jamjámque paratos*
*In patriam, & dulces unà remeare penates*
*Navibus, ingenti ſurgens exterruit umbra.*
*Namque ſui fortè immemores, & pendere juſta*

*Oblitos, alacríque manu vada ſalſa ſecantes*
*Increpat, & prima cogit conſiſtere terra:*
*Síccine, ait, meritos ingrati fertis honores,*
*Per quem res Teucrûm, per quem ruit inclytus Hector?*
*At mihi quæ ſponſa eſt virgo, quam vivus amavi*
*Et perii, noſtro regalis victima buſto*
*Occidat, hoc functi repetatis munere naves.*
*Proh pudor! en juſtis* PVTEANI *herois imago*
*Queſtibus adſurgens, totas ex ordine lapſas*
*Septenas hyemes, renovatáque ſecula terris*
*Enumerat, ſupera cùm pridem nectar in aula*
*Haurit ovans animus vinclo reſolutus inani:*
*Ecquis, ait, noſtros decoravit carmine manes,*
*Inferiáſve dedit? quando vel funera amicis*
*Conclamata meis, vel conclamata poëtis?*
*Dicite Pieridum myſtæ, quæ culpa? quis error,*
*Quem luimus taciti longa caligine fati?*
*Contemptúne etiam veſtro? placuítne malignis*
*Vlciſci inviſum per veſtra oblivia nomen?*
*At vos Aſtrææ proceres, vos Gallica tector*
*Lumina, naſcentis vos conſcia ſidera vitæ,*
*Si quis barbariem contra, flammantia miles*
*Acrior arma tulit, ſi doctis blandior hoſpes*
*Doctior aut quiſquam (novit ſed cætera fama)*
*At non virgineo madeant mihi ſanguine flammæ.*
*Barbara vel ſtricto depugnet victima ferro:*
*Tantùm virginibus Muſis, quas vivus amavi*
*Et perii, pietas tangit vos ſi qua, ſepulchrum*

*Viſite muneribúſque meum decorate ſupremis.*
*Non tulit ulteriùs ſancti convitia patris*
*Natorum pietas: nam viſus ſæpe monere*
*Talia, veraces dum tertia tempora noctis*
*Indulgent ſomnos, neque mentem ſomnia fallunt.*
*Senſit & has, & ſe ſenſit rea, turba querelas*
*Palladis, & patrio quos purior irrigat amne*
*Sequana, quóſque ſuis Rhenus torrentior undis,*
*Germani Galliq́ue ſimul, quoſcumque favore*
*Munifico, & dictis dum fata Deúſque ſinebant,*
*Alloquiis dignatus erat, penè omnibus itur*
*Exequias, ſera damnántque ſilentia voce.*
*Ipſe prope à gelida divinus* SCALIGER *Arcto*
*Heu! citò ſublati fatum lugebat amici*
*Oceanum adſpectans, guttiſque humentibus ora*
*Perfuſus, crebra* PVTEANVM *voce vocabat,*
*Totáque reddebant* PVTEANVM *littora, totis*
*Reddebant illum Nymphæ Oceanitides antris.*
*Vna inter reliquas, quam quondam Sequana, dum ſe*
*Exonerat centum fluviis comitatus in æquor,*
*Centum inter rapidus populoſas labitur urbes,*
*Progenuit, clari civis non immemor illa*
*Et deſiderio* PVTEANI *excita, decoras*
*Non tenuit lacrymas, ſparsóſque effuſa capillos*
*Sic Parcas, ſicque aſtra vocans crudelia, dixit.*
*Anne parum eſt, ô carnifices, tria monſtra, ſorores*
*Quòd ferrum, humanæ quòd vobis fila colúſque*
*Inſtrumenta necis, quòd vitæ tempora cenſet*

*Inciſúſque adamas, adamante & durior omni*
*Veſtra manus? niſi trux fatales inſuper annos*
*Calculus, & fluxi ſpatium mortalibus ævi*
*Computet? heu! lenta* PVTEANVM *tabe iacentem*
*Vidimus, immiti colluctantémque dolori*
*Confectúmque malis, humor lapidoſus vt olli*
*In latebris renum fureret claudénſque meatus*
*Naturæ, totis ageret tormenta medullis.*
*Poſt mille errores, poſt tædia longa laborum,*
*Poſt deſolatam captámque rebellibus Vrbem,*
*Póſtque triumphatos, heu noſtri infamia ſæcli!*
*Mirmillone patres, Aſtræam carcere clauſam*
*Vrbis & in fœda tractam capitolia pompa,*
*Emenſus veſtras Liger & tu, Sequana, ripas*
*Filius Aſtrææ, ſummi pars ipſe Senatûs*
*Finitimas exul* PVTEANVS *adiverat urbes*
*Impia civili deteſtans arma furore*
*In regem commota ſuum. Iam, Gallia, fatis*
*Penè tuis defunctus erat: ſed ſæva manebant,*
*Et conjuratæ Muſas extinguere peſtes*
*Morborum innumeræ, & communibus addita caſtris*
*Barbaries: patrias vix ille reviſerat oras,*
*Et libris laribúſque ſuis vix redditus, inter*
*Succeſſúſque novos rerum plauſúſque recentes*
*Ante ſuos natos, & mœſtæ conjugis ora*
*Victorem regem patriámque in morte reliquit,*
*Optatámque diu felix morientibus hauſit*
*Libertatem oculis: illum vaga flumina flerunt,*

*Et colles, nemorúmque deæ, pater & meus, altis*
*Intumuit lacrimis, magnúmque ingreſſus amaros*
*Triſtior Oceanum, defudit in æquora fluctus.*
*Hæc Nympha, & rurſus ſe gurgite condidit imo.*

## CVR TANTO INTERIECTV temporis collectus ac editus ſit hic Tumulus.

## EPIGRAMMA EIVSDEM.

*VT ſenſit, felix* PVTEANI *& nobilis umbra*
*Exequias libro nos renovare ſuas:*
*Quis deſiderio modus? (inquit) ſeptimus annus*
*Funereas vidit vos mihi ferre faces.*
*Necdum ſollicitus lacrimarum exaruit humor?*
*Nec tam longinquo tempore mœror abit?*
*Haud, inquam, tempus nobis lenire dolorem,*
*Aut deſiderium jam, Puteane, poteſt:*
*Longa dies, aliis ut ſit medicina dolendi,*
*Longa dies triſtat nos magis atque magis:*
*Nam quod rarus amet doctos, hoc tempore, doctus*
*Ipſe: magis memores hoc facit eſſe tui.*

# IN OBITVM CL. V. CLAVDII PVTEANI AD CL. VIRVM IO. TVMERIVM

## RAPHAEL THORIVS.

QVIS *mihi ſopitos animabit cælitus ignes*
*Spiritus, & deſueta novas in carmina vires*
*Sufficiet, meditor dum cæli in ſede recepto,*
*Quos habeo, non quos meruit* PVTEANVS, *honores?*
*Tu mihi Phœbus eris,* TVMERI, *tu luminis almi*
*Aſpectu excuties, quas improba cura coëgit*
*Pæoniis ſtudiis languenti in corde favillas,*
*Afflatu & vivos æſtus in mente ciebis.*
*Non indigna peto, fuit & tibi* CLAVDIA *virtus*
*Cognita, nec quiſquam gravius tam flebile tantæ*
*Deliquium lucis tacito ſub pectore luxit.*
*Quòd cineres ſine laude tui, quòd funera nullis*
*Deplorata modis ſeptem manſêre per annos,*
*Da veniam* CLAVDI, *felix conviva Deorum,*
*Luctus, & impatiens vulgaria funera clamor*
*Proſequitur: dirum vulnus penitóque receptum*
*Viſcere ſenſum animis, & vocem ſenſibus aufert.*
*Egregias multorum animas vis improba Martis*
*Et maleſuada fames, luis & lethale venenum;*

*Et populi furor indomitus vitalibus auris*
*Abſtulerat, quos ingenium, quos bellica virtus*
*Et pietas, & amor patriæ, atque ſcientia Iuſti*
*Ornabat; ſed eis communes vulgus honores*
*Contulit, & faciles lacrimas in funere fudit.*
CLAVDIVS *ut cæli ac Superûm flagrantior, artus*
*Deſeruit, mentes rapido ceu ſidere tactas*
*Et ſegnes linguas ſtupor occupat, undique triſtis*
*Apparet facies luctûs effata ſilendo.*
*Vt, quem morbus atrox ferit Herculis, ocyùs ala*
*Fulminis humanos actus, vocémque animúmque*
*Exuit, & ſubitæ immerſus caligine noctis*
*Obſcuros ſonitus invitis motibus edit,*
*Donec finito redeat nativa tumultu*
*Feſſa in membra quies; ſua tum ſibi redditus ipſe*
*Damna gemit, fractos ægrè dum ſuſtinet artus.*
*Sic ubi ſtella micans propria ſtatione remota eſt*
CLAVDIA, *tum convulſa gravi Res publica plaga*
*Conticuit, mirata ſibi nigreſcere circùm*
*Omnia, nec mediis in tempeſtatibus Arcton*
*Affulgere viæque ducem, cauſámque ſalutis,*
*Septima quum tandem meſſis ſingultibus ortis*
*Reſtituit querulas poſt longa ſilentia voces.*
*Dignus eras annis Pyliis, qui Neſtoris artes*
*Callebas, facunda loqui, meminiſſe remota,*
*Cernere venturos caſus, dubiiſque periclis*
*Conſilium intrepido vultu præbere ſalubre,*
*Pro dulci & patria dulcem profundere vitam:*

*Aut, ſi fata vetant terris divina morari,*
*At minùs immani cecidiſſes vulnere,* CLAVDI,
*Nec tam ſæva animam caula de corporis ima*
*Tartareis veluti flagris tortura fugaſſet!*
*Quid tibi cum ſaxis? tanto quæ culpa luenda*
*Supplicio, quo ſancta Dei lex cædibus, atque*
*Cavit adulteriis? at te non ſanctior vnquam*
*Aut cuſtos thalami, vindex aut ſanguinis alter.*
*Tu tamen oppreſſus lapidoſa mole peribas,*
*Quam veſica ſibi propriis conflarat arenis*
*Ipſa ſuum in damnum ſolers. hinc fœda ſaburra*
*Reſtagnans loca celſa petit, vitiátque nitentes*
*Pectoris & cerebri, queis vitam ducimus, auras.*
*Dura quidem lethi ratio, ſed grata volenti*
*Ante ſuo calcata ſequi veſtigia Chriſto.*
*Aſperior nec enim viſa eſt punctura lapilli,*
*Quàm clavi, quàm rhamnus erat, quàm denique cuſpis,*
*Per caput & latus, innocuos & adacta per artus;*
*Tanta fuit ſummo vitæ conſtantia in actu.*
*Nec tremere ad mortis vultus, ut miles inermis,*
*Qui toties jugulo impendentem viderat enſem,*
*Quum ſcelerata cohors vili de fece popelli*
*Acta Erebi furiis, Patriæque & Regis amantes*
*Ad cippos traheret proceres, de Iure Bonóque*
*De Pietate, velut de captivo hoſte, triumphans.*
*Aſt ubi vana vides hominum conamina, lætus*
*Debita naturæ reddis, terreſtria terræ,*

*Nomen venturis, cælo immortalia mandas,*
*Omnibus exemplar, quo ſint formanda beatæ*
*Finis ut optatus veniat, primordia vitæ.*
*Sic* PVTEANVS *obit prima de ſede ſenator,*
*Notitia rerum clarus, ſine crimine Iudex,*
*Iudex abſque manu, expers fuci & fellis amicus,*
*Principibus carus, rebus non ſegnis agendis.*
*At non totus obit, velut à radice reciſus;*
*Namque boni ut punctum civis ferat omne, reliquit,*
*Quos patriæ donat generoſos indole natos,*
*Ingenii hæredes, ut opum, venæque paternæ,*
*Et nitidos pleno rivos de fonte fluentes;*
*Felix, qui patriam vivens moriénſque beavit.*

VIRI CLARISSIMI
# CLAVDII PVTEANI
MEMORIÆ S.

SCÆVOLA SAMMARTHANVS M. P.

PVDET *fateri, lente inérſque barbite,*
*Iam nona meſſis appetit,*
*Puteanus ex quo ſæculi ſplendor ſui*
*Vrgente fato extinctus eſt,*

*Nec dum ſepultis tantiſ amici Manibus*
*Pias dediſti lacrimas.*
*Sed cùm ſub imis hæreat præcordiis*
*Hoc funere acceptus dolor,*
*Nulláque poſſit arte, nullo tempore*
*Noſtrum levari tædium,*
*Vt ſit aliquantò ſerior, ſemper tamen*
*Hic luctus opportunus eſt.*
*Adeſte vos ergo Deæ, & juſtiſſimis*
*Vltro favete næniis.*
*Hic veſter ille eſt, luce quem prima editum*
*Foviſtis in blando ſinu.*
*Qui veſtra coluit ſacra ſedulus puer,*
*Factúſque demum grandior,*
*Sive ille Græca, ſeu Latina conderet,*
*Ante unus ibat cæteros.*
*Vtrumque, cenſor ipſe, vates optimus*
*Phœbi tuebatur vices.*
*Severa donec involans in hunc Themis*
*Totúmque vendicans ſibi,*
*Me ſequere, dixit, ſaxo tam rara indoles*
*Emergat iſto ex otio.*
*Tu quicquid olim Roma victrix gentium*
*Sancivit æquis legibus,*
*Antiquitatis quicquid in ſinu latet*
*Me conſequêris auſpice, &*
*Has tibi per artes ſumma honorum ad culmina*
*Certiſſimam ſternes viam.*

*Te purpuratum ſplendidos inter patres*
*Auguſta cernet civitas,*
*Te populus omnis jura dicentem colet,*
*Colent & ipſi principes.*
*Hæc Dea; nec anni deinde multi effluxerant,*
*Rata cùm fuerunt omnia.*
*Tumuit ſuperbus amne toto Sequana,*
*Tumuit ocellus Galliæ*
*Lutetia ingens facta nunc ingentior*
*Tantis alumni laudibus,*
*Et ſive in illo nacta Budæum alterum*
*Ad ſidera caput extulit.*
*Quis enim tribunal ad ſupremum doctior,*
*Quis venit unquam juſtior?*
*Quis comitate, quis pudore præſtitit,*
*Virtutibúſque cæteris,*
*Quibus micabat hoc nefando ſæculo*
*Ceu nocte ſidus aureum?*
*Sed luſtra nondum vixerat planè decem,*
*Cùm debili in corpuſculo*
*Paulatim adultus calculus teterrimos*
*Primùm dolores attulit,*
*Mox lethum & ipſum, lugubrémque vatibus*
*Cauſam canendi præbuit.*
*Ipſe ego ſenili membra cui torpent gelu*
*Deſueta longo tempore*
*Ad plectra redeo, penéque oblitas mihi*
*Tremula manu tento fides,*

*Nunquam huic labori præſtiturus me parem,*
*Niſi qui mihi cor excitat*
*Amor in ſepulti nomen ardentiſſimus*
*Diſſolveret frigus meum.*
*Vos patre digni liberi, quos æmulæ*
*Doctrina virtutis comes*
*Ducit paratæ laudis ad verum decus*
*Paterna per veſtigia,*
*Beatiores vivite, & quos abſcidit*
*Annos parenti pertinax*
*Bonis nocere Parca, nunc tandem æquior*
*Vobis rependat ſingulis.*

## IN EVNDEM.

Q. SEPT. FLOR. CHRISTIANVS.

*SI mea vita tuo penſari funere poſſet,*
*Solamen mortis* CLAVDIA *dulce meæ,*
*Non tibi ſe Alceſtis, non præ ſe Porcia ferret*
*Vivus ego, tu nunc umbra ciniſque fores.*
*Sed tua mi Pietas, quam tu moritura nequires,*
*Dat vitam contra fata, moríque vetat.*
*Et poteram ſine te jam mortuus eſſe videri:*
*Nunc per ſe virtus nulla ſepulta mea eſt.*
*Vive igitur mea vita, & ſic me vivere certum eſt,*
*Noſtra tuis lacrimis flamma perennis erit.*

# CLAVDII PVTEANI SENATORIS EPITAPHIVM.

N. RAPINVS PICTO.

ELOQVIVM, *probitas, legum prudentia, virtus*
*Hocce tacent tumulo quo,* PVTEANE, *jaces.*
*Pro multis, magníſque viris hæc nænia dicta eſt.*
*Iuſtiùs at nulli quàm,* PVTEANE, *tibi.*

QVI *vixit bene, tramitem ſequutus*
*Rectum Iuſtitiæ ſeverioris,*
*Ambitu tumido ſolutus omni,*
*Potens conſiliis, doli ſed expers,*
*Quem non flexit amor, nec uſſit ira,*
*Non vindicta, odium, fames nec auri,*
*Purpurámque, animámque ſemper æquam,*
*Et mentem innocuam, manúſque puras*
*Geſtitans* PVTEANVS *ille, ſummus*
*Ille illæſo animo manúque judex,*
*Optimè en moritur: ſereniorem*
*Imò vitam agit & beatiorem,*
*Hoſpes vade, recede; quid moraris*
*Iſto in limine ſciſcitando plura?*

# CLAVDII PVTEANI V. C.

## Manibus ſacrum.

### IOANNES PASSERATIVS.

DOCTRINA *eximius, pietate inſignis & arte,*
*Cum Phœbo & Muſis hic Puteane jaces.*
*Priſca fides, roſeúſque pudor, lacrimæque ſororum,*
*Inclyta virtutis ſunt monumenta tuæ.*

*PIeridum ex lacrimis ſi floſculus exſtitit olim,*
*Hoc Claudî ex tumulo floſculus ortus erit.*

## EIVSDEM EPITAPHIVM.

### ST. PASQVIER.

CLAVDERIS *hoc uno, Claudi Puteane, ſepulchro,*
*Purpureos inter gloria prima Patres.*
*In te ſumma fides, ſanctíque ſcientia juris*
*Tollitur è medio te moriente, foro.*

# I. GILOTO SENATORI Pariſienſi.

IOANNES BONEFONIVS.

ECQVID *ſolvere juſta Puteano*
*Tu, qui Iuſtitiæ ſedes in arce,*
*Nec regni minimas tenes habenas,*
*Me Gilote jubes, meáſque Muſas*
*Ad tam nobile convocas pheretrum?*
*An, quem Virgilii æmulus Thuanus,*
*An, quem Scævola, Scaliger, Rapinus*
*Principes Heliconis atque Pindi,*
*Tam cultis numeris & eruditis*
*Certatim celebrant, eum, Gilote,*
*Meas næniolas, eum minutos*
*Poſtulare putas meos Phaleucos?*
*Cùm tot nempe lyræ gemente cantu*
*Hæc lugubria fata proſequantur,*
*Boneſi citharam ſilere turpe*
*Indignúmque putas, putas, Gilote,*
*Cui tot dulciſonæ lyræ parentant,*
*Eidem quoque fas Boneſianam*
*Parentare chelyn. At ipſe contra,*
*Nam quid garriat inter hos olores,*
*Raucus, ſtridulus, inſuavis anſer?*

*Aut quid addere gloriæ, quid ejus*
*Poſſim laudibus atque claritati?*
*Qui doctorum hominum per ora tantam*
*Sibi quæſierit celebritatem,*
*Vt nil ille ſciat, nihilque norit,*
*Quiſquis neſciat eſſe Puteanum*
*Muſarum decus atque litterarum.*
*Quiſquis neſciat eſſe Puteanum*
*Doctrinæ Puteum, uberémque fontem.*

# EIVSDEM.

# TVMVLVS CL. PVTEANI SENATORIS PARISIENSIS.

VIXIT *Claudius ergo Puteanus,*
*Atque ad Elyſias migravit umbras?*
*Eheu, quantus honos togæ forenſi,*
*Quanta gloria, quanta lux adempta.*
*Illi purpureæ patrum coronæ,*
*Illi juridico choro Catonum*
*Quos eſt imperium penes ſupremum*
*Et legum moderamen & poteſtas?*
*Heu, quantum columen piis Camœnis,*
*Quantum præſidium decúſque raptum*
*Muſis ingenuis & eruditis:*

*Quantus flos patriæ, omnibúſque Gallis?*
*Is vobis etenim, Patres, ademptus,*
*Quo caſtus magis integérque nullus*
*Erat legiferæ Deæ Sacerdos:*
*Non ſervantior æquitatis ullus*
*Et magis rigidus tenáxque cuſtos.*
*Qui non tam Tyrio decorus oſtro,*
*Non tam murice purpuráque clarus,*
*Quàm virtute fuit ſua coruſcus,*
*Et candore animi atque puritate.*
*Is eſt, Phœbe, tibi, is, Minerva, raptus,*
*Qui portus profugis erat Camœnis,*
*Erat perfugium & patens aſylum*
*Doctis omnibus atque literatis.*
*Is qui veſter honos amórque quondam,*
*Quo non alter erat magis peritus*
*Et Graiæ & Latiæ elocutionis.*
*Non ſagax magis alter atque ſolers*
*Priſcarum arbiter elegantiarum.*
*Is, Lutetia, civis eſt ademptus*
*Tibi, is, Gallia, raptus eſt alumnus,*
*Quo nil clarius extuliſtis unquam,*
*Quo nihil melius, nihílque majus.*
*Memmios licèt, & licèt Budæos*
*Tu, Lutetia, glorioſa jactes:*
*Iactes, Gallia, tu licèt Pithœos,*
*Fauros, Briſſonas, Hoſpitalióſque*
*Noſtri lumina principéſque ſæcli.*

*Ille denique Sol ademptus orbi,*
*Orbi denique raptus ille Phœnix,*
*Cui nec eſt ſimilis, nec eſt ſecundus.*

# CLAVDII PVTEANI
## C. M. V.
## EPICEDIVM
### Ad V. C. Chriſtophorum Puteanum eius F.

IAC. LECTIVS.

ERGO *ſacrum, Puteane, patri meditaris honorem,*
*Debitáque in numeros cogere verba jubes.*
*Obſequor. At pietas ( tædet niſi vera fateri)*
*Impia penè tua eſt, impia penè mea eſt.*
*Ipſi namque ſuis titulum incidère ſepulchris,*
*Qui ſophiâ, & veris qui meruère bonis.*
*Nec dum vita manet, nec poſtquàm vita receſſit,*
*Neſciri Herôas Fama Fidéſque ſinunt.*
*Denique pauca parens, pauca omnis neſcia pompæ,*
*Verba ferat,* SITVS EST HAC PVTEANVS HVMO.
*Nomen ubi novit, ſi quis non cætera novit,*
*Hoc quoque quod novit noſcere ineptus erat.*

D. M.

ET MEMORIÆ

CLAVDII PVTEANI V. C.

ET SENATORIS DOCTISS.

IO. SAVARO.

CLAVDIVS *hîc recubat* PVTEANVS, *doċte viator,*
*Ni pigeat, paucis te volo, ſiſte gradum.*
*Antiquum genus à Puteo, noménque trahebat,*
*Cujus avos tellus Segusiana tulit.*
*Splendorem generis conjunx de gente Thuana*
*Auxit, & illa patrem fecit, & illa virum.*
*Moribus antiquis vir, nil antiquius unquam*
*Huic fuit, antiqua religione patrum.*
*Palmam præ reliquis tulit antiquarius, omnes*
*Vivaci genio vicit, & ingenio.*
*Quid tumuli titulus, quid marmor hiante lacuna*
*Implicet, inſcribti quid lapidéſque notent.*
*Inveſtigandis his non oculatior alter,*
*Nec divinandi doċtior arte fuit.*
*Dum plenas ſcopulis membranas mille repurgat:*
*Et veteres renovat, reſtituítque libros.*

*Dum chartis pernox, & perdius incubat, atque*
*Excubat in ſtudiis, aſsiduúſque vacat.*
*Próque tribunali ſedet, ac de more ſenatûs,*
*Iuri dicundo roſtra frequenter adit.*
*Cuique ſuum reddit juſtiſsimus arbiter æqui,*
*Argus in obſcuris, certus in ambiguis.*
*Dum quærit ſcopulos, lapides, ac marmora, totus*
*In lapidem, in marmor, in ſcopulúmque riget.*
*Sic lapis hoc lapide obtegitur, ſic marmore marmor,*
*Sic ſcopulus ſcopulo, non homo tectus humo eſt.*
*Regius ad Turonos refugit, Turoníſque moratus*
*Luſtrum, Pariſios ſaxeus inde redit.*
*Inde redux obiit crudeli morte, tametſi*
*Doctorum ſupereſt, & decus atque dolor.*
*Non obiit, nam vivit adhuc, gnatíque ſuperſtant,*
*Qui mores reddunt, ingeniúmque patris.*
*Devotus Savaro, mœrénſque reliquit amoris*
*Has teſtes lacrimas, hæc monumenta ſui.*
*Hoc te ſcire volo, nil te moror ampliùs, hujus,*
*Et memor humanæ conditionis abi.*

V. C.

# CLAVDII PVTEANI
## DOCTISS. SENATORIS
## Epitaphium.

NIC. RICHELET PARIS.

*COMPOSITIS poſtquam tranquilla negotia bellis,*
*Pacatúmque videt patriæ conſurgere cælum,*
*Poſtquam legitimis cedentia vidit habenis*
*Pectora, & infracto ſub ſceptra potentia collo*
*Ire Nefas, purúmque ſui ſplendere Senatûs*
*Lumen, & exlegem legi concedere turbam;*
*Poſtquam Pierias ſpirare beatiùs artes*
*Et ſperare videt, nimbóque fugace procellas*
*Mitiùs, in tutum deducere ſæcula portum:*
*Et nos (inquit) opus, portus appellere noſtros,*
*Cognatáſque animi ſedes inviſere, & altis*
*Inſerere eximium caput orbibus. Ilicet illum*
*Audiit orantem Genius ſuus, & vaga ſcindens*
*Nubila, ſydereis raptim mentem intulit aſtris,*
*Corpus humo contexit agens, quæ læta ſepulchro,*
*Inſigniſque viri virtute, ſuperbior exit,*
*Quàm Mauſolei quæ barbara jactat honorem,*

Et quæ Niliacæ præfert faſtigia pompæ.
Huic tu nec violas, nec amœni munera ruris,
Nec lauros virides, aut palmæ brachia nectas;
Eloquii ſed opes numeroſáque ſenſa, poëtæ
Fatidicæ quæ mente calent, huic ingere laudes
Egregias, longúmque ſui quem fecit honorem
Nominis, & ſacræ Themidis miracula & olim
Pignora quæ fidei ſacræ memoranda reliquit:
Hi ſunt quos meruit flores, PVTEANVS, & illa
Ad tumulum quæ ſerta petit, quæ florea linguæ
Præmia, & exortem lethi, bona nomina, famam.

## IN EVNDEM.

NIC. RIGALTIVS.

VIRTVTI ſatis, & ſatis labori
Vixiſti, Puteane, gloriæque,
Et laudi ſatis: haut ſatis Senatûs
Splendori: haut ſatis optimis amicis,
Quos fama innumeros tibi paravit
Latè didita litteratum in orbem.
Namque ampliſſimus ordo conſulentis
Curiæ haut minimam ſibi fatetur
Mentis conſiliíque abeſſe partem,
Nec deſiderio modum impotenti
Ponit: te ſibi Galliæque & orbi
Ereptum innumeri gemunt amici.

# EPICEDIVM
# CLAVDII PVTEANI
## SENATORIS REGII, AMPLISSIMI doctiſſimíque viri manibus, à I. Douſa dicatum conſecratúmque.

E Rgo *ego carnifici tantùm ſupereſſe dolori*
*Natus, & uſque novas ſufficere in lacrimas?*
*Nec mihi ſpes nigras hederâ mutare cupreſſos,*
*Funeſtum aut taxis exonerare caput?*
*Tot flendo æſtates, tot per ſuſpiria brumas*
*Traximus: & reliquum quid, niſi flere, mihi?*
*Nec ſatis, effuſo reſonaſſe domeſtica planctu*
*Funera (queîs factus iam propè Funus ego)*
*Nî memori externos curâ renovemus amores;*
*Tótque olim ſtudiis pectora fida meis,*
GALLICA *quos Tellus mihi conciliarat* AMICOS:
*Quorum adeò admonitu nunc quoque corda ſtupor*
*Occupat, in riguos exundant lumina fletus,*
*Ah, numquam lacrimis exſatianda meis.*
*In queîs de* PVTEANO *etiam mihi* CYNTHIVS *aurem*
*Vellit; & ; Hei, miſero quid mihi fiet? ait.*

*Sicne igitur,* PVTEANE, *jaces: neque* CLAVDIA *Virtus*
FATORVM *evaluit frangere duritiem?*
*Cui* MARS *ipſe tamen,* FVRIISQVE *accenſus & irâ*
*Conjuratorum parſerat antè furor,*
*Inter mille enſes, quos vis incondita Plebis*
*Strinxerat, in* REGEM *perfidioſa ſuum.*
*Et* CIVES, *&* PARISII *hæc cæco impete: tantæ*
*Invidiæ viſi nec tamen eſſe pares.*
CARCERE *te contenti atro damnaſſe, neque ultra*
*Lædere tam* SACRVM *ſuſtinuêre caput.*
*Sed quæ tam violens in te fuit illa* DEARVM,
*Stamina quæ vitæ deſtruere auſa tuæ?*
LETHI *igitur* PLVTO *hoc violari cuſpide pectus*
*Pertulit? hanc* HECATE *vellere cæſariem?*
*Quis porrò integrius moturus* IVDICIS *urnam,*
*Invicto adverſus divitias animo?*
*Ventoſæ plebis ſpernet quis fortiùs arma;*
*Pro* REGE *haud timidus, pro* PATRIAQVE *mori?*
*Ah,* LACHESI *immitis,* EREBO *haud indigna Parente;*
*Quæ tanta ex illo parta* TROPHÆA *tibi?*
CLAVDIA *num te buſta juvant? at* CLAVDIVS *iſte*
*Dignum* AGRIPPINÆ *conjuge nil habuit.*
*Quem cùm perdideris, quis erit qui talia dictet?*
*Cuja acies* CRITICO, *plus placitura gregi?*
*Heu, quæ lingua ſilet? Quis nunc,* SVADA *auſpice, nobis*
*Ad* TVLLI *arcanos pandet iter latices?*

*Cujus opem in rebus dubiis* ASTRÆA *requiret?*
*Quis*, PVTEAL *melius qui moderetur, erit?*
*Et quiſquámne adeò humanis affectibus expers,*
*Suſtineat tali qui ſupereſſe viro?*
*Non ego: nam mihi quî procudere longius ævum,*
*In tantâ lubeat vaſtitie, atque* CHAO?
*Cuncta jacent triſti caligine merſa: periſtis*
*Cum* PROBITATE PVDOR, *cum* PIETATE FIDES.
*Quinetiam in totum jam nos*, ASTRÆA, *videri*
*Deſeruiſſe, iterum non reditura, potes.*
*Namque ubi nunc* LEGVM *reverentia*, IVRIS ET ÆQVI?
*Illa* ÆVI VETERIS, *nunc ubi* SIMPLICITAS?
*Dic, ubi nunc Sophien; ubi te* TRITONIA *quæram?*
*Vera ubi (dic)* VIRTVS, *inveniunda mihi?*
CANDOR *ubi*, FIDEIQVE *tenax* CONSTANTIA *nobis*,
*Et non fucatæ* RELLIGIONIS *amor?*
*Neſcio quid certè*, COELESTIA NVMINA, *vobis*
*In terris factum ſuſpicer eſſe mali.*
*Et mirum, niſi cum* PVTEANO *vos quoque* DIVAS
CENSIBVS *addiderit jam* LIBITINA *ſuis.*
*Et pariter veſtræ communia* FATA *ruinæ*
*Interitu ſecum traxerit ipſe ſuo.*

# IN EVNDEM.

PAVLVS G. F. P. N. MERVLA.

Viator & incola conloquuntur.

V. *Quis jacet hîc?* I. PIETAS, PROBITAS, PRVDENTIA, *crines*
*Incomtæ, lacera cum* GRAVITATE *Genas.*
V. *Adnoſco* DIVAS: DIC, *quæ compoſta? Triumphos*
MORS *ſemel occœptos congeminare ſolet.*
I. LEGVM, *quas Populis præſcripſit Roma ſubactis,*
*Quáſque ſuis fixit Gallia Terra,* PENVS;
IVSTITIÆ CARDO; CASCORVM REGVLA MORVM
FLOS, *quem fert oculis Docta Minerva,* CHORI;
SPES OPPRESSORVM, POSITORVM VITA CLIENTVM;
FVNDENTVM CASSAS ANCHORA SACRA PRECES;
PRÆDITA IVDICIO TRACTABILIS INCORRVPTO
MENS, AVORSATÆ MVNERA CÆCA MANVS.
V. *Quæ dixti, ahperiiſſe notant, quo Poſtera dicent*
*Majorem nunquam Sæcla fuiſſe virum.*
I. *Sic eſt: talis erat* MAGNVS PVTEANVS, *in uno*
*Talia geſtavit Pectore* NOSTER AMOR.
V. *Ergo jaces* CLAVDI, PVTEANÆ GLORIA GENTIS,
VNICE GALLORVM NOBILITATIS HONOS?

*Ergo jaces* PATRIÆ SOL *anxiæ, &* VRBIS OCELLE
*Lugentis, viduæ firma* COLVMNA DOMVS?
*Ergo jaces pavidi* DECVS *immortale* SENATVS?
*Et* CVI NON MOEROR, CORDOLIVM, LACRVMÆ?
I. *Deſine triſtari: Parcarum eſt Parcere Nulli;*
*Quicquid & Egregium,* MORS *rapit ante Diem.*
*Iam tua ſit tibi Res curæ cordíque viator:*
*Pluráne vis? arto* PLVRA *jacent tumulo.*
V. SIT TIBI TERRA LEVIS, *placidúſque quieſce: Præiſti*
*Nobis; te ſequimur.* I. *Vivitur haud aliter.*

## V. C. CLAVDIVS PVTEANVS SVPREMÆ CVRIÆ SENATOR integerrimus vxorem mortuus affatur & conſolatur.

Carmen Dom. BAVDII.

ABSISTE *funus, dulcis ô conjux, meum*
*Nil profuturis exſequi ploratibus.*
*Ad hoc adegit nos ſacramentum Deus,*
*Ex quo ſub almæ lucis oras venimus,*
*Vti feramus æquiter mortalia,*
*Terræque terram ne gravemur reddere.*

*Cunctis terendum eſt hoc iter lethi ſemel,*
*Nullúmque ſæva Parca præterit caput.*
*Rebus creatis hanc creator condidit*
*Legem tremendi carminis, datam omnibus,*
*Nulli movendam, cui nec obrogare fas,*
*Nec derogare: primus ut primum parens*
*Adamus, unde procreata gens virûm,*
*Fas omne rupit, inſupérque habens herum*
*Turpi rebellione devinxit caput.*
*Hinc juſſa terris incubare dira Mors*
*Falcem per omne immiſit humanum genus.*
*Lex dura, ſed perſcripta, cujus impetum*
*Hac arte flectas (Marte nam frangi nequit)*
*Si ſequeris ultrò quà reluctantes trahit,*
*Vt impetret ius ſponte, vis quod imperat:*
*Hoc ſi dolores coner affatu tuos*
*Sedare, fas eſt ire publicâ viâ:*
*Sed téque méque fortiora condecent*
*Exterminando luctui ſolatia.*
*Mulcere mentes iſta plebeias ſolent,*
*Quarum ſepulta laus jacet cum corpore,*
*Nihílque præter funeris curam brevem*
*Tangit propinquos, & nepotibus manet.*
*Me Livor ipſe confitebitur palàm*
*Vixiſſe dignum luce poſterûm frui.*
*Fœlicitatis prima ſors fuit meæ,*
*Prognaſci honeſto genere, nobili ab domo:*
*Soli feracis planta naturam refert,*

*Patrúmque virtus tranſit in propaginem.*
*Doctrina ſed vim roboravit inſitam,*
*Boníſque crevit indoles ſub artibus.*
*Vtcumque rector mentibus teneris abeſt,*
*Mores, ut herba irrigua, ſuccreſcunt mali.*
*Permenſus orbem litterarum, protinus*
*Ad alta juris ſacra pectus appuli,*
*Res ad gerendas expeditus ut forem.*
*Nam qui ſevera lege progredi ſtudet*
*Curam & labores huc oportet dirigat,*
*Vt pro virili parte Patriam juvet.*
*Odi Sophiſtam, qui ſibi tantùm ſapit,*
*Et qui repertis ſolus incubat bonis,*
*Suíque nullam dividit partem ſuis.*
*Aſt actuoſa vita, virtutum ſeges,*
*Famæque campus cepit indolem meam:*
*Summi Senatûs haud pigenda pars fui,*
*Quâ dignitate nil reor præſtantius,*
*Si quis parem ſe muneri tanto gerat.*
*Hoc ſuſtinetur civitas tibicine.*
*Legum ſub umbrâ publicæ rei Salus*
*Secura conquieſcit, occaſu gravi*
*Lapſura, ſi mens ſubtrahatur imperî.*
*Reges timendi, proximum Deo genus,*
*Hac fine primùm ſunt creati, gentibus*
*Vt jura dicant, arceántque injurias.*
*Hunc nos honorem (pace nam tuâ mihi*
*Fas eſt erítque gloriari) geſſimus*

*Rigidi tuendum judicis munus fuit.*
*Poſt id reverſus à tribunali demum,*
*Velut ſolutus onere perſonæ gravis,*
*Frontem explicabam cum ſodalium choro.*
*Quos inter, vt Sol inter aſtrorum faces,*
*Duo eminebant: flos virûm Thumerius*
*Nec degener Thuanus à magno patre*
*Senator idem pariter, & vatum decus.*
*His aggregabar hoſpitali teſſerâ,*
*Domeſticúſve feriabar, aut libris*
*Vltro dicabam, quod dabatur otii*
*Te, ſuavis uxor, & tuo vultu frui*
*Prægeſtiebam, ſorte tali lætior,*
*Quàm ſi quod agri ſulcat ingente alveo*
*Rhenus bicornis, dote complexus forem,*
*Opum ſititor inter immenſas opes.*
*O quid jugali copulâ dici queat*
*Magis venuſtum, feſſa cùm laboribus*
*Curíſque mens onus reponit, ac procul*
*Omni querelâ viſimus privum larem,*
*Deſideratóque acquieſcimus thoro!*
*Ritu ferarum degit uxoris carens:*
*Nec gentis ullam poſteræ curam meret,*
*Cui cura non eſt tollere hæredem ſibi,*
*Dulcéſque natos, ſpem futuram poſterûm,*
*Vitæ brevis protela. nobis, cum Deo,*
*Sunt nata pignora octo, fundamen domûs,*
*Dum fata, dum Deus ſinebat, viximus*

*Vnâ gemelli mente, lis ſolùm fuit:*
*Vtrius ardor æſtuoſior foret.*
*Nunc me priorem poſcit ordo, deſine*
*Mæroris ægrimoniæque, deſeror*
*Non deſero te, morior ut vitâ fruar.*
*Namque iſta, quam vos ducitis vitam, mera eſt*
*Imago mortis, quippe ſingulus dies*
*Tacente curſu ducit has ad incitas.*
*Tum languor ærumnæque tranſverſo impetu*
*Perenne vitam incurſitant mortalium.*
*Subit ſenectus, & labos, & horridæ*
*Tandem ingraveſcit mortis inclementia.*
*Veſtro ſiniſtro more, mortales, loquor.*
*Nam tantus error avias mentes agit,*
*Vti tremenda perſequantur, & tremant*
*Quæ perſequenda. pelle vanam imaginem,*
*Rebúſque circunfuſum inane, lancibus*
*Expende juſtis cuncta quæque non ſecul*
*Obnubilata errore mens verum videt.*
*Patente nauta deprehenſus in mari*
*Nil acriore flagitat voto, niſi ut*
*Portum capeſſat, quàm poteſt ociſſimè.*
*Laſſus viator otium Divos rogat.*
*Videre avitas optat extorris domos.*
*At vos egena ſanitatis pectora*
*Veſtro lubentes eſtis infortunio,*
*Mortémque formidatis auſpicem boni,*
*Quietis aram, ſublevamen à malis.*

*Quod ſi medendo leniora vulneri*
*Fomenta quæris, cùm caduca ſis homo:*
*Non invidenda ſorte fœlix, ſed tamen*
*Fœlix peregi limitem fato datum.*
*Nunc me præire, non perire lex jubet*
*Mortalitatis, obſequi Deo decet.*
*Non morior omnis, at mei pars optima*
*Manet ſuperſtes te mihi ſuperſtite,*
*Charíſquè natis, in quibus viget mei*
*Spirans imago, laudis ornamen tuæ.*
*Valete blanda ſpes nepotum, nominis*
*Monumenta noſtri, civium naſcens ſeges,*
*Referte laudibus parentes: creſcite,*
*Vt læta ramis & vegens fœlicibus*
*Se tollit arbos. túque finem fletibus*
*Impone, conjux, maſculique pectoris*
*Capeſſe curas, tempus haud poſcit ſibi*
*Molles querelas, nec dolori te decet*
*Laxare frænos. omnis in te nunc domus*
*Recumbit, imple mater amborum vices*
*Tuique miſque. ſurgat ad verum decus*
*Propago noſtra te magiſtrâ, te duce*
*Primis ab annis, dum levi ac leni modo*
*Mentes novellæ, quò velis, duci queunt.*
*Sic ibit. hanc me ferre ſpem tui jubet*
*Spectata virtus, & fides: ante omnia*
*Diſcant vereri Numen. hic rerum ſcopus,*
*Beatitatis hic ſupremus eſt apex.*

# ΕΛΕΓΕΙΑ ΥΓ. ΓΡΟΤΙΟΥ ΕΠΙΚΗΔΙΟΣ ΚΛΑΥΔΙΩ ΠΟΥΤΕΑΝΩ.

Ἀποστρέφεται πρὸς Ἀστραίαν θεάν.

Παῖ Θέμιδός τε Διός τε νόμοις παρέχουσα μερίμνας,
Ἡ διέπεις πότνης δῶρα δικαιοσύνης,
Δάκρυσι ῥαῖνε πρόσωπα· καὶ ἔρχεο στερνοτυποῦσα,
Ἔρχε' ἀκοσμήτοις ξαινομένη πλοκάμοις.
Πυτεανὸς, κλέος ὑμετέρης στρατιῆσιν ὄλωλε,
Σθηνήτου τιμὴν βουλοφόροιο λαχών.
Τίπτε δ' ἄρ' εὐτροπίης χαίσμει παράδειγμα λέγεσθαι,
Καὶ βασιλεῖ πίστιν πάντ' ἀκέραιον ἔχειν;
Τίπτε δ' ἐλευθερίης τέχνας δεδαῆσθαι ὀφέλλει,
Τοῖς τ' ἀκακοῖσι φέρειν ψῆφον ὀνησιφόρον,
Ὃς λογίοις μελεδῶν λογιώτατος αὐτὸς ἐτύχθη,
Νῦν κεῖται κρυερῷ ἄπνοος ἐν θαλάμῳ.
Δεῖγμ' ἀρετῆς, ὁμαλῆς τε δίκης θαλὲ Κλαύδιος. ὦ σὺ
Δακρύε σφωϊτέρου δακνομένη βλάβεος.
Ἱππόλυτον, καὶ Ἄδωνιν ἐδακρύσαντο θέαιναι·
Ἄπτεται ὑψιβάτων κήδεα λυγρὰ πόλων.
Καὶ σὺ περικτίονος φλογερὸν λίπε σῆμα Βοώτεω,
Καὶ πάλιν ἐς γαῖαν πρόσφυγ' ὄρινε πόδα.

# HVGONIS GROTII
## ELEGIA IN OBITVM
# CLAVDII PVTEANI.
### Alloquitur Aſtræam Deam.

*NATA Iovis, Themidíſque cui legalia curæ*
*Dogmata, quæ ſacri munera juris amas,*
*Ora riga fletu, reſonent tua pectora planctu;*
*Progredere incomptas dilacerata comas:*
*Ille tuis olim* PVTEANVS *gloria caſtris,*
*Ille Senatoris munere functus obit.*
*Quid juvat exemplum dici venerabile morum,*
*Quídve ſacram Regi non violaſſe fidem?*
*Quid juvat ingenuas didiciſſe fideliter artes,*
*Quid juvat inſontes abſoluiſſe reos.*
*Doctorum pia cura virûm, doctiſſimus idem*
*Nunc jacet in gelido corpus inane thoro.*
CLAVDIVS *occubuit ſpecimen virtutis & æqui:*
*Fle Dea; fle damno ſollicitata tuo.*
*Antè Dea Hippolytum, Deáque altera flevit Adonin,*
*Et penetrant ſuperos funera chara polos.*
*Tu quoque vicini flagrantia ſigna Bootæ*
*Deſere, & in terras transfuga diva redi.*

Ελθὲ γνάθοις νοτερὴ περὶ δάκρυος, ἐλθὲ καταβλέψ,
  Ικμάδι λυπηρῇ φάεα δισσὰ βρέχε.
Οιη πραῒ συγέουσα παλαιῶν, ἤθεα λαῶν
  Επλαο δυσθύμην πλῆσιν ἐπουρανίη.
Θνηξομένῃ κεφαλῇ σὺ φιλήματα νείατα δοῦσαι
  Ωφελες, σὺ φίλην ὄμματι χεῖρα βαλεῖν.
Καὶ νῦν ὅσσα δύναιο (πάρεστι δὲ πολλὰ τελῆσαι)
  Τίμια χρή σε τελεῖν ἔργα καταφθιμένῳ.
Τοῖς πυρσοῖς σύ γ' ἔφαπτε θύρῃ, σὺ δ' ἀλείμματι πάντα
  Πίονι, καὶ θερμῷ χεύματι βάπτε νέκυν.
Καὶ σὺ λεαίνε δέμας. σὺ μὴν ἔνδυε σίνδονι λευκῇ
  Σὸν δακρύων πυκνῆς εἰβομένη ψεκάδος·
Τεύχεται ἐκκομιδὴ, σὺ δ' ἀσύγκριτος ἔξιθι χαίτην
  Αρμοδίην πόσσῳ ἀνδρὶ σέβουσα ταφήν.
Μελπέ συ σάλπιγγι συγαρῇ καὶ ἰήλεμον αὐτῷ
  Υμνέε, τὰς δ' ἀρετὰς αἴνεσον οἰχομένου.
Στήσει πιερίδων ἀχαρὴς χόρος Ορφε' ὀλέσθαι
  Η Λίνον ἰναχίδην ἔμπαλιν οἰόμενος.
Εκπεσεν ἰναχίδης ἕτερος Λίνος, ἔκπεσεν Ορφεύς.
  Δακρύεθ' ὑμετέρου κῦδος ὄρους ἔθανε.
Τίς δυνάιτ' ὑμείων, τὰς πυρκαΐης φλόγας αὔξειν
  Ες τε πύρην βάλλειν δᾶδας ὀπισθοφανεῖς;
Χαῖρε τίς αἱ λέξει, πεφιλημένε Κλαύδιε χαῖρε,
  Συγγενέος κραυγὴν εἰσαΐουσα χόρου,
Χαίρεο Πουτεαν' ἐκ φύσεως σ' ἑπόμεσθα βεβαίης
  Τάξιος, ὦ φίλε νῦν χαίρεο Πουτεανέ;
Αστραίη σὺ κόνιν λέξεις, καὶ σήματι βάλλειν
  Ενθεμένη φήσεις ἱερὸς ἐστὶ τόπος.

*Stet facies defixa ſolo, vultúſque gravetur*
*Imbribus, & madido lumine triſtis eas;*
*Qualis eras mores hominum indignata priorum*
*Cùm peteres mæſto cælica templa gradu.*
*Te capiti decuit moribundo ſumma dediſſe*
*Oſcula, téque oculis impoſuiſſe manum.*
*Nunc quæcunque potes (reſtant nam plurima) ſolve*
*Debita ſacratis Manibus officia.*
*Tu foribus ſuccende faces, pinguíque ſupinum*
*Vnguento, & calidâ tinge cadaver, aquâ.*
*Indue deterſum candenti ſindone corpus,*
*Quæ ſtillet lacrymis humida facta tuis.*
*Itur ad exſequias: tu paſſis crinibus exi,*
*Vt decores tanto funera digna viro.*
*Funebri tu clange tuba: tu præfica laudes*
*Concine: mæſta tuâ nænia voce ſonet.*
*Stabunt Pierides, triſtis Chorus, Orphea rurſus,*
*Aut Linon Inachiden interiiſſe ratæ:*
*Occidit Inachides alter Linus: occidit Orpheus:*
*Flete Deæ: veſtri gloria montis obit.*
*Quis poterit veſtrûm flammas augere regales,*
*Inque pyram averſas præcipitare faces?*
*Quis poterit dixiſſe Vale, Vale optime* CLAVDI,
*Cognato toties ingeminante Choro?*
*Nunc* PVTEANE *Vale: nos, quo Natura jubebit,*
*Ordine te ſequimur, nunc* PVTEANE *Vale?*
*Tu cineres, Aſtræa, leges, glebámque ſepulchro*
*Injiciens dices: Eſt ſacer iſte locus.*

Ἡμετέροιο πόθου τόπος ἔλλαβε πότνια κεῖνος
  Λείψανα. μικρὸν ἔχει γαμνίον ἄνδρα μέγα.
Οἷος ἐὴ ζῆσαι πορρωτέρον. ἀλλὰ κοτήεις
  Κεῖνον ἐείζωον μὴ περίλειψε μέρος.
Μοῖρα γὰρ ἐξείργουσα γεραίτερον αὐτὸν ἔσεσθαι
  Ἐννέ' ὀλυμπιάδας, καὶ τρία δῶκεν ἔτη.
Εἴδωλον νέκυος σὲ δ' ἐμοῖς δακρύεσσι καλέσσω,
  Καὶ μολπῆς σὺ δ' ἔσῃ φροντὶς ἐμοί καὶ ἄχος.
Ταῖς γέννας ῥήξαια σοῦ ἀλγινοῖς ὀλολυγμοῖς
  Αἴκ' οὐκ ὦσιν ἐμοῖς αἴτια ταῦτα νόμοις.
Πᾶν θεμιτὸν τεύξω. περιδύσομαι εἵματα φαῖα.
  Κεῖνο γὰρ ἡμετέρῳ πένθεϊ χρῶμα πρέπει.
Ὀππόσος αἶ παρ' ἐμεῦ καταχεύσεται ὄμβρος ὀπωπῶν
  Σοῦ νέκυος λεπτὴν εἴψεται ἐς κονίην.

## ΕΠΙΓΡΑΜΜΑ ΤΟΥ ΑΥΤΟΥ.

ΠΟΥΤΕΑΝΟΙΟ ματὴν μέγα κῆδος ἀξία τεύχειν
  Σπεύδων Ἀονίας εἰσεκάλεσσα θεάς.
Ὃς δ' ἔλε Πουτεανὸν, τίς μοι τύχον εἶπε περιζήσας,
  Αὐτὸς καὶ Μούσας ἐννέα χῶρος ἕλε.
Ναὶ μάλα. Πιερίδες κείνου μὴ ζῶσι θανόντος.
  Ζῶσι δὲ Πιερίδες· κεῖνος ἄρ' οὐκ ἔθανε.

*Iſte locus noſtri venerandas ſervat amoris*
*Relliquias: Magnum parva habet urna virum.*
*Et poterat vixiſſe diu. Vis invida Fati*
*Ampliùs in ſuperis noluit eſſe locis.*
*Tres annos, & luſtra novem cùm vixerat, illum*
*Lethalis fieri noluit hora ſenem.*
*Sæpe ego vos, Manes, lacrymis mæſtóque ciebo*
*Carmine: vos eritis cura, dolórque mihi.*
*Carpſiſſem faciem, feciſſem in funere leſſum,*
*Raſiſſémque genas: ſed mea Iura vetant.*
*Quod potero faciam: pullo velabor amictu:*
*Conveniet noſtris luctibus ille color.*
*Et quicunque meis humor labetur ocellis*
*Continuò veſtros defluet in cineres.*

## EIVSDEM EPIGRAMMA.

CARMINA *cùm fruſtrà Puteani digna pararem*
*Funere, Pieriæ ſollicitator opis,*
*Fortè aſtans alius, Puteanum quæ abſtulit, inquit,*
*Hæc eadem Aonias abſtulit hora Deas.*
*Sic eſt: ſi periit, nec Muſæ vivere poſſunt.*
*Sin Muſæ vivunt, hic quoque non periit.*

# PROSOPOPOEIA
## AMPLISSIMI NOBILISSIMIQVE VIRI
# CLAVDII PVTEANI
## SENATORIS REGII,
### conſcripta à DANIELE HEINSIO Gandenſi.

*O qui coruſcum dividis vultu diem*
*Ingens ſerenæ lucis arbiter,* VALE,
*Vxórque curis una ſolamen meis,*
*Conſors thoríque, patriæque, quæ meum*
*Fœcunda blandò germine auxiſti genus,*
*Cingens pudico tecta patris agmine.*
*Et vos meorum turba parva liberûm,*
*Imago viva, párſque dulcior mei.*
*Ah! ora blanda, vultibus vultus meis,*
*Patríque dulces jungite extremùm manus.*
*Hæc ſola reſtant. Teſtor immiteis Deas,*
*Mortémque noſtris terminum extremum malis,*
*Solémque vitæ fulgidum teſtem meæ,*
*Cælíque junctas ſemper ardentis faces,*
*Nervíſque pondus Galliæ incumbens meis,*

*Laréſque dulces, queis puer gaudens ego*
*Productus hauſi principem vitæ diem,*
*Curæque luſi neſcius; Vixi ſatis*
*Laudi, mihíque: patriæ tamen parum*
*Vobíſque, nati. patria infelix trahit,*
*Et ora veſtra, veſtra, quæ mortem jubent,*
*Gratam vereri. Dum tamen pueritiæ*
*Ætas ſerenos dulcis admittit dies*
*Nihílque ſcire dulcior ſcientia eſt,*
*Spei, metúſque vivite immunes; procul*
*Extra ſuperbas caſuum tuti vices,*
*Ignara turba, matris inter oſcula,*
*Luſúque mentem, mollibúſque gaudiis*
*Mæſtæ parentis ſpes relicta paſcite.*
*Donec per annos cura ſuccedens ſuos*
*Foríve triſtis ardor, aut feri labor*
*Mavortis acres poſcat in bellum manus.*
*Heic patris eſte, cæterum matri lubens*
*Tempus relinquo, donec impotens, ſui*
*Inter ſuaves vita volvitur jocos,*
*Intérque ludos errat, & crepundia*
*Innoxia ætas, gaudiis favens ſuis,*
*Parvóque læta mobili exultat pede.*
*Viros repoſco.* SERIA *ætatem decent,*
*Me digna quæ ſit; vindicat ſibi hanc pater*
*Hanc illa noſtra vita in exemplum trahat,*
*Vehátque in alta rerum, & ingentes ſinus,*
*Virûmque in ora tendat. & civilibus*

*Frænare pergat patriam ardentem malis,*
*Cæcáſque legum pervagarier vias*
*Erectus alti pectoris diſcat vigor.*
“ *Ah quot per alta Syrtium diſcrimina*
“ *Emetiendum, ſaxáque alta, reſtat hoc*
“ *Quodcumque vitæ eſt!* GALLIA *infelix docet*
*Vel omnium inſtar, ipſe* FORTVNÆ *jocus*
*Gens illa noſtra eſt, caſuúmque luſibus*
*Submittit acres patria infelix manus.*
*Hic pontus ergo, turbidum hoc vobis mare*
*Gens blanda reſtat, horridi per æquoris*
*Has fluctuantes flamine adverſo vias*
*Enavigandum eſt, quáque publicum mare*
*Rerúmque fervet unda, me portus tenet:*
*Legítque noſtræ ſæva vela, mors ratis,*
*Extráque curas, civicáſque in arduum*
*Siſtit procellas.* PATRIA *æternum vale,*
*Dulcéſque nati, blanda me quies vocat,*
*Avíſque ſanctam, patribúſque molliter*
“ *Mentem refundo.* SCILICET, *quantum eſt Deus*
“ *Intérque vitæ munia, & fluctus vagos*
“ *Duxiſſe caſtos, noxiis procul, dies,*
“ *Dolóque puras tollere ad cælum manus*
“ *Mavortis altos inter impetus, neque*
“ *Contagioſa temporum premi lue.*
“ *O Vita vita, noxias cautes tegis!*
“ *Symplegadéſque mille labentem trahunt*
“ *Et hinc & inde, lucráque incautum ferunt*

" *Ætatis orbem, pervicáxque auri furor,*
" *Vanúmque Honoris nomen, & Potentiæ,*
*Ignoſce faſſo, Patria, ah beatiùs*
*Privata parvos inter exigit lares*
*Annos ſuaves vita, & exilem domum,*
*Intérque vultus conjugíſque, & aurea*
*Seneſcit ora liberorum, ſpéſque ovans*
*Gaudénſque ſemper terminat tecto ſuas.*
*Non ille vaſtas regis exhorret minas,*
*Aulæque fluxam pallidus gemit fidem:*
LVTETIÆQVE *ſemper undantes vias,*
*Turba clientum cernit, & vanas opes.*
*Intérque natos tutior regnat ſuos,*
*Securus, inſons, innocénſque, ſupputat*
*Annos ariſtis ille, ſolibus dies.*
*Idémque ſervit, & beatus imperat,*
*Focóſque dives ſuſcitat, parvum larem,*
*Metúſque ſævos ridet, & rerum vices:*
*Sortíſque lentum fulminantis impetum,*
*Thoro, casáque tutus arcet, & procul*
*Laſcivienti cedit abditus Deæ;*
*Ætáſque curas inter effluit ſuas;*
*Vicina neſcit; nocte pacatus jacet,*
*Sopórque feſſas mitior fovet genas.*
*At nos parentum celſa per veſtigia*
*Faſtidioſus purpuræ afflavit decor:*
*Regníque habenis deſtinavit inclutam*
*Virtute mentem, patriæque fluctibus.*

*Vidi cruentas cæde regia vias,*
*Verſáſque & in ſe Galliæ ardentis manus,*
*Ingénſque rerum pars labantium fui,*
*Nec cura fallax peſtilénſve munerum*
*Virtutis alta pube ſuppreſſit diem:*
*Immobilémque motui infixi pedem,*
*Mentíſque nixus robore excelſæ ſteti*
*Inter procellas, verticéſque.* NIL TIBI
FORTVNA MECVM EST, *inter immanem fori*
*Horrentis æſtum, & civium molimina,*
*Et execrandum factionis impetum,*
*Vocéſque, & atram carceris cæci luem:*
*Integra ſemper pectoris magni fides,*
*Legúmque ſanctus cedere inſcius rigor*
*Immotus hæſit, cùm fera plebes manu*
*Diſcordiarum vindicem oppreſſit Togam:*
*Idémque, fauſta gentis inter omnia,*
*Velo ſecunda ſorte ſubduxi pedem,*
« *Licentiæque terminos.* ILLVSTRIOR
« PECCARE LAVS EST NOLLE, CVM POSSIS TAMEN.
*Et nunc ſuprema, tritáque omnibus via*
*Eunda: & ingens ſemita è terris vocat*
*Itérque magnum: jam ſoluta denique*
*Humanitatis vinculo, in ſeſe labat*
*Pars quaſſa noſtri, tollimúrque: & heu priùs*
*Mors ipſa nobis quàm ſenectus appetit,*
*Curſúmque rumpit! Viximus tamen, neque*

*Fruſtrà (Paterna teſtor arva, & te, Deus,*
*Ducémque vitæ principémque) luminis*
*Hauſi ſuave munus: aut vitæ diem.*
*O mors, quot ah! quot caſibúſque, & aſperis*
*Diſcenda curis, grata vix tamen venis!*
*Naturáque ultro gaudet, inviſam licet*
*Servare lucem, corporíſque onus ſui*
*Sublimis altæ mentis affectat nitor,*
*Premíque gaudet: Ibimus tamen, tamen,*
*Et vos lacerti conjugis dulces meæ,*
*Leníſque vitæ deſerenda ſemita eſt,*
*Caſtíque amoris arbitrum linquo thorum*
*In his ſuperſtes liberis vnúſque eo*
*Plures relinquo. Fœnus hoc rerum Parens*
*Indulſit, vxor; hæc tibi ſolatia,*
*Vivæque reſtant, patris amiſſi notæ,*
*Quotiéſque dulces oſculo premis genas*
*Patris memento: póſtque baſium tuum*
*Adjunge noſtrum, lacrimámque molliter*
*Diſtilla amoris priſtinum teſtem mei.*
*Et nunc, domúſque tota, curáque omnium*
*Reclinat in te, liberorum grex tener*
*Ah! patre dulci deſtitutus, unicam*
*Te ſpectat, eheu! vultibúſque hæret tuis,*
*Opémque poſcit! mater ah! olim, modò:*
*Subibo & æquas omnibus Fati manus,*
*Noſtríque amoris, mutuam memor fidem*
*Mecum ſub umbras duco. Iam vale, vale,*

*Me longa tandem noctis involvit quies,*
*Somnúſque blandam ferreus negat diem,*
*Aurémque vellit: Téque, mors, lubens ſequor,*
*O ſumma rerum, ſeráque optanti venis.*
*Didicíque quondam millibus mori malis:*
*At nunc docebo: ſpiritúmque, & igneæ*
*Cælum repoſcit mentis ardorem meæ.*
*Debemur illi ſcilicet pridem, neque*
*Ignotus haſce creditor premit fores,*
*Depoſta reddo, mutuúmque, nec mihi*
*Mutanda vita reſtat, at vitæ locus.*
*" Quiſquis prementes mortis exhorret manus*
*"Geménſque terram deſerit: cælum timet.*

# IN OBITVM
# V. A. CLAVDII PVTEANI
## CONSILIARII REGIS GALL.
### IO. MEVRSIVS.

TVNE etiam moreris, Puteane, & luctibus orbem
*Immergens lætus templa ſerena petis?*
*Et vitæ ſatur, & mortalia cuncta peroſus,*
*Nunc ſupera terras deſpicis arce tuas.*

Te

*Te pia, te conjux infelix poſcit ademptum,*
*Ingeminans vano nomen inane ſono.*
*Te poſcit proles, & planctu ſurda fatigat*
*Marmora, & immodico, eheu! lavat imbre rogum.*
*Quid mirum? faciunt etiam tibi numina leſſum:*
*Aonides, Phœbus, Suada, Minerva, Venus.*
*O magna impleret pectus mihi carmine Muſa,*
*Verſibus innumeris triſtia fata darem.*
*Sed quid opus? nam quò mittant mea carmina luctum,*
*Iam cœlum plenum, plenáque terra gemit.*

## ΕΙΣ ΚΛΑΥΔΙΟΝ ΠΟΥΤΕΑΝΟΝ
### βουλευτὴν ἐν τῇ πάνυ βουλῇ βασιλικῇ.

Ν. Γυλωνίου.

Πουτεανὸς ζαθέης ἀρετῇσι κεκασμένος ἦεν,
Εὐνομίης πηγὴ, καὶ φρέαρ ἰδμοσύνης.
Ἤνθεεν ὀρθόδικος βουληφόρος, ἠδὲ δικαστής,
Σεμνὸς ἀνὴρ πινυτῆς δ᾽ ἔμπλεος εὐμαθίης.
Ἐσθλόπονός τε θεοῦ λάτρις, βεβίωκεν ἅπασιν
Ἄφθονος ἀνθρώποις, ἀθανάτοις ἴκελος.
Τὸν κύδαινεν ἄναξ, φίλεον νέοι ἠδὲ γέροντες,
Ἀντὶ δαημοσύνης, ἠδὲ σαοφροσύνης.

Οὐδὲν ἐπιχθονίοις ἀγαθὸν δίκαιον ἐτύχθη·
  Ἐξ οἴης ἀρετῆς δόξα βεβαιοτάτη.
Πουτεανὸς ζωὸς διέλαμπεν ἑωσφόρος ἀστήρ.
  Σῶμα λιπὼν δὲ, χοροῖς τέρπεται οὐρανίοις.

## Εἰς τὸν αὐτόν.

FED. MORELLVS Pr. Reg. M. P.

ΠΥΘΙΟΣ ὡς θνητοῖσι φάος φέρει, ἠδὲ βροτοῖσι
  Αντέλλων δνοφερὴν νύκτα δὲ δὺς ἀάγει.
Ως ἀλφηστάων φώτων μέγα ΠΥΤΕΑΝΟΣ φῶς,
  Ζῶν λαμπαὶ Μουσῶν, νῦν κνέφας ἐπὶ θανών.

## ΕΙΣ ΚΛΑΥΔΙΟΝ ΠΟΥΤΕΑΝΟΝ τὸν ἐν Λυτεκίᾳ λαμπροτάτης βουλῆς σεμνότατον καὶ σοφώτατον βουλευτήν.

ISAACVS CASAVBONVS.

ΠΟΥΤΕΑΝΟϹ μακάρων ἕδραν ἠλλάξατο γαίης·
  Φεῦ; τὸ καλὸν σβέσθη Πιερίδων ἔρυμα.

Ὤλετο Εὐνομίης ἱερὴ βάσις· ὤλετο, αἲ αἴ,
Ὀφθαλμὸς βουλῆς, τῆς ἀγορῆς τὸ κλέος.

## Ἄλλο.

Τύμβον ὁρᾷς παροδῖτα, ὃς αἰέρος ὀστέα κεύθει
Σώφρονος ἰθυδίκου, βουληφόρου, ἀξιαγάστου,
Μειλιχίου, πινυτόφρονος, ἀτρεκέος, πολυΰμνου,
Ἐσθλοῦ, ξεινοδόχου, μεγαλήτορος, ὀλβιομοίρου,
Φιλοθέου, φιλοκοιράνου, εὐόρκου, εὔπαιδος,
Μουσάων φίλου ἔξοχα. Παντοίης δ' ὅγ' ἐπ' ἄκρον
Τέρμα μολὼν ἀρετῆς. Καμάτων βιοτῆς θ' ἅλις, εἴπας,
Οὐκ ἀθεεὶ τὸν αἰέγρετον αὐτίκα ὕπνον ἴαυε.
Καὶ θαίε μὲν θνητὸν σέο σῶμα, τὸ δ' ἄσπετον εὖχος
ΚΛΑΥΔΙΕ τεῦ, γαίης κατ' ἀπείρονα κύκλον ἁπάσης
Τηλεθάει. ψυχὴ δέ τοι οὐρανοῦ ἐνναέτειρα
Χῶρον ἔχει πολύολβον, ἐναστράπτουσα ὀλύμπῳ.

# ΕΠΙΤΑΦΙΟΝ ΚΛΑΥΔΙΟΥ τοῦ Φρεαλιαίου πανσόφου βουλευτοῦ ἐν τῇ βασιλικῇ τῶν Παρισίων συγκλήτῳ.

Τῆς ἀρετῆς ἕνεκα ἐποίει Λοδοΐκος ὁ Σερβῖνος συνήγορος ὁ Καθολικὸς τοῦ χριστιανωτάτου βασιλέως τῶν Φράγγων Ἐρρίκου δ.

ΕΝ κήποις ἤντλει νύκτωρ Φανίοιο Κλεάνθης
Ἕλλην πτωχογενής, ὃς σῶμα μὲν ἦεν εὐέκτης,
Ἤσκησεν δὲ λόγοις τὸ μεθ' ἦμαρ, τόν γε Φρεάντλην.
Ἕλληνες σκώπτουσιν, ἄσημος ἐν Ἑλλάδι κεῖται;
Ὢ μὲν αἰέλπιστος σαρκὸς ψυχῆς τε ξυνωρὶς
Ἥ γε δίκην δώσει ἐνὶ ταῖς ἀΐδαο πύλαισι,
Ἡμίσοφος θνητοῦ κλέος εἶχεν ἐφήμερον αὖθις.
Κέλτος δ' εὔσημος Φρεατώνυμος, οὗτος ἀπ' ἀνδρῶν
Εὐπατριδῶν τὸ γένος δὲ Σεγούσιος, ὃν τέκε μήτηρ
Λευκετίη, δέμας ἦν λεπτὸς, νούσοισι παλαιῶν,
Παγὰς ἀενάοις νύκτας τε καὶ ἦμαθ' ὀρύξας
Ἐκ θείων φρεάτων ὕδωρ πανκέλιστον ἐπάντλων
Ἀνδρεῖος Γαλάτης κοιμώμενος ἐνθάδ' εὐέλπις
Ἀθανάτῳ μετὰ τὸν θάνατον στεφανούμενος αὖθις
Πάνσοφος ἐν Φράγγοις ἀμαρεάντινός ἐστι Κλεάνθης.

# ΕΙΣ ΤΟΝ ΤΟΥ ΕΥΔΟΚΙΜΟΥ τοῦ καὶ ἐλλογίμου ἀνδρὸς Κ. Λ. ΠΟΥΤΕΑΝΟΥ τάφον.

Ρ. Στέφανος.

Εὐμενέες τόδε σῆμα φίλῳ πατρὶ παῖδες ἔθηκαν,
Τῆς σφετέρας γενεᾶς μισθὸν ἀμειβόμενοι.
Ὡς πότε τὸν γενετῆρα κατωμάδιον βάρος αἴρων
Ἐκ πυρὸς Αἰνείας ἥρπασεν Ἰλιακοῦ.
Αὐτὰρ ὁ μὲν γενετῆρι βραχὺ βίον, οἱ δὲ βροτοῖο
Ἄμβροτον ἀντὶ βίου πατρὸς ἀποδοῦσι κλέος.

## Εἰς τὸ αὐτό.

Υἱῶν ἄξιος ἦν ὁ πατὴρ, πατρὸς ἄξιοι υἷες,
Τοῦτο, καὶ εὐτεκνίης μνῆμα, καὶ εὐσεβίης.

# ΕΙΣ ΚΛΑΥΔΙΟΝ ΠΟΥΤΕΑΝΟΝ

τὸν καὶ εὐγενείᾳ, καὶ βίου ὁσιότητι,
δικαιοσύνῃ τε, καὶ πολυμαθίᾳ
λαμπρότατον.

Δεσιδ. ὁ Ἑράλδος.

Πουτεανὸν θεράποντα Δίκης, Σοφίης θ' ἱερῆα:
Πουτεανὸν Μουσῶν καὶ χαρίτων πρόπολον.
Θυμὸς ἐμὸς κλαίεσκεν ἔχων ἀκόρεστον ἀνίην,
Καὶ συγκερὰς δεινῶς ἀχνύμενος πραπίδας.
Τίς γὰρ ἔην κρείττων τε φυήν, καὶ θυμὸν ἀρείων;
Τίς σοφίῃ μείζων; τίς τε δικαιοσύνῃ;
Οὐ ἄρα γήϊον ἦσθα φυτόν: διὸ γήϊα χαίρειν
Πολλὰ φράσας κατέχεις πατρίδ' ἐπουράνιον.
Λῆγε γόων φίλε θυμέ: βίον πολύολβον ἀπτεῖ:
Ἥρωας κλαίειν οὐ θεμιτόν ποτ' ἔφυ.

# ΕΙΣ ΤΟΝ ΑΥΤΟΝ.

Παῦλος ὁ Ρενεαλμος ἰατρὸς Βλαισαῖος.

ΜΗσατο γαῖα φόως αὐτῆς ἐθέλουσα φυλάττειν
Πετρώδδες γυῖον Πουτεανοῖο θέμεν.
Νηπίη; ἀρξαμένη γὰρ ἀπὸ νεφρῶν, ἑὸν ὦσε
Οὔλυμπόνδε κλέος, οὐρανίοισι πόθον.

# ΤΟΥ ΑΥΤΟΥ ΤΑΦΟΣ.

BON. VVLCANII.

ΠΟυτεανὸν κρύπτει τάφος οὗτος, τὸν πανάριστον
Γαλατάρχεω βουληφόρον,
Ὄμμα Δίκης, πάσης τ' ἀρετῆς ἐρατεινὸν ἄγαλμα,
Μούσῃσι φίλτατον κέαρ.
Σῶμα μὲν οὗτος ἔχει νεκρὸν τάφος, ἀλλ' ἀρετάων
Κρεῖσσον μόρου μίμνει κλέος.

# ΕΙΣ ΤΟΝ ΛΑΜΠΡΟΤΑΤΟΝ βουλευτὴν Κλαύδιον τὸν Πουτεανὸν καὶ Μούσαις καὶ χάρισι θύοντα.

Ἰωάννου τοῦ Δημισιάνου.

Ἠμος ἐπ' ἀκροτάτῃσι βιβᾷ κορυφῇσιν Ὀλύμπου
Ἠέλιος, θνητοῖς ἡδὺ φόως ἐρέων.
Καί μιν ὅλον σκιόωσιν ἀκηδέα κύκλα σελήνης·
Τῆμος πᾶσι βροτοῖς ἐντανύουσι νέφος.
Καὶ σ', ὅτε μαρμαίρεσκες, ὑπέρτατον εὖχος ἀέξων
Βουλῆς, εἷλε μόρος. γῆ δ' ἀλάωσε φάνους.

## Ἄλλο.

Ὀρφέον τὸ πάροιθε κάρη προσεπίλνατο Λέσβου
Ἠϊόσιν, μουσῶν καί σφιν ἐνῆκε μέλος.
Ἔνθεν ἐπὶ κροκάλῃ περιμήκει λᾶας ἀείδει
Οἰαγρηϊάδου μέρσιμον αἱμυλίην.
Σὸν γεραρὸν δὲ κάρηνον, ἄνερ κυδίστατε, τύμβῳ
Χείμψαν, ἔπνευσε μῦθος κεδνὸν ἀοιδοσύνης.
Οὐκ ἄρα μουσοπόλων θνητὸν εὔθροον ἔθνος·
Εὖχος σὸν λᾶαν κωφὸν, ἔθηκε λάλον.

Ἄλλο.

## Ἄλλο.

Κλαύδιος αἰολόμητις ἐπήρκεσεν ἦμαρ ὀλέθρου
Ἀνδράσι νηρίθμοις ἧσι δικασπολίης.
Τῷ κεν ἀπεμβομένη νεκύων, ἴος ἔννεπεν αἶσα
Πότμον ἀναπλήσας ἀντὶ τόσων μερόπων.

## Ἄλλο.

Κλαύδιε, σῷ μορόεντι πολύστονα δάκρυα, τύμβῳ
Αἴλινον ᾠιό μίην δῶρον ἐπιπροέμην.
Ἀλλὰ τεὸν, πολύαινε, μεγήρατον ἔργαθε κῦδος,
Κῦδος γηθοσύνην πνεῦσαν ἀκηχεμένοις.
Ἐν δοιῇ κραδίῃ. θυμαλγέα δάκρυα λείβων,
Ἢ γελόων, πόσω φωτὸς ἐπιφροσύνην;
Δάκρυα τέκνα γόου, γήθους τε μελίφρονος ἦε.
Δέξο πάτερ ποθέεις, ἀμφοτέρωσε κλέος.

## IN EVNDEM.

### DANIELIS HEINSII.

Κεκρύφθαι ὅστις τῇδε Κλαύδιον δοκεῖ,
Τὸν φημὶ δεινὴν μωρίαν ὀφλισκάνειν.
Οὐ Κλαύδιος μὲν, τοῖο δὲ νεκρὸς μόνον,

Ὅσσον τε χεῖρε χωρέειν ὅσων μέρος,
Χθονὸς βαθείης κεύθεται ἐν ἀγκάλης.
" Ὡς καὶ πάρος τῷ ἐν μέλεσσι. παντὶ γὰρ
" Ζῶντι σῶμα σῆμα, καὶ τάφος πέλει.
Βέβηκε τ' ἄλλα, ξεῖν'. ἰὼν δέ τ' οὔμπαλιν
Μέμνησο θείου ὢν ἄποικος οὐρανοῦ,
Θεοῦ τ' ἀπορρῶξ φέγγεος πάλαι γεγώς.
" Ὁρῶ γὰρ ἡμᾶς ἐνθάδ' οὐδὲν ἄλλο, πλὴν;
" Πηλοῦ τε μοῖραν καὶ θεοῦ πεφυκότας.

# TVMVLVS CLEMENTIS PVTEANI IC.

# D. O. M. S.

CLEMENTI PVTEANO VIRO CLARISSIMO, CHRISTIANÆ RELIGIONIS ET VERÆ PIETATIS STRENVO VINDICI, AMATORI, EXHORTATORI, PATRONO. VIRO OMNIVM CVM HVMANARVM DOCTRINARVM COGNITIONE, OMNI NOMINE CELEBERRIMO. TVM VTRIVSQVE FACVNDIÆ, ET SONANTIBVS VERBIS VBERIBVSQVE SENTENTIIS ABVNDANTIS ELOQVENTIÆ, INTER GALLOS OMNES FACILE PERITISSIMO, HVMANITATISQ. ADEO OMNIGENÆ EXEMPLO PRÆCLARISS. STVDIOSÆ COHORTIS PATRONO, ET VNICO DESIDERIO PHILIPPA PONCETA VXOR PATIENTIÆ PLANE CHRISTIANÆ, SOBOLESQVE PIENTISS. ET M. D. C. OFFICII MEMORES, MARITO, PATRI, PATRONO, ET AMICO FIERI CVRABANT. QVI AVG. XXII. A. D. M. D. LIIII. ÆT. SVÆ AN. XLVIII. FOELICITER EX HISCE MVNDI ÆRVMNIS CVM MOESTA DOCTORVM, ET SINCERÆ MENTIS VIRORVM PIETATE EXCESSIT. ANIMA CHRISTO SEMPER VIVAT.

*EX EPIST. DION. LAMBINI ad Ioannem Maludanum data Romæ nonis Iuniis 1551. Vbi honorifica ſit mentio Clementis Puteani.*

SVPERIORIBVS meis litteris ſcripſeram, credibile eſſe te fortem, ſtrenuúmque eſſe jam in Palatio & foro ambulatorem. non me fefellit opinio. Quod ſi tibi, qua menſura ceteras facultates & virtutes civiles ac palatinas natura largita eſt, eadem menſura laterum firmitatem & confidentiam tribuiſſet, propediem primum inter cauſarum actores & patronos locum obtineres. Nunc & ego video, & tu experiris, quantum tibi obſit iſta laterum, vocíſque infirmi-

tas, quantum pudor ingenuus & timiditas homine libero digna. Veruntamen non tibi idcirco à ſententia aut conſilio tuo deſiſtendum eſt. Multos enim videmus ſola probitate, ſoláque doctrina fretos, ceteris ferè omnibus naturæ facultatibus deſtitutos magnam in foro gloriam, ſummas opes, ampliſſimos magiſtratus eſſe conſecutos. Non longè abieris. CLEMENS PVTEANVS lateribus eſt nihilo te melioribus, voce infirma & tenui, corpore gracili & imbecillo, timidus & pudens, ſi quis alius: nihilominus tamen in principibus patronis hodie numeratur: domus eius ab iis qui litigant, quotidie frequentatur: nemo exiſtimat ſe ſatis cautè fortunas ſuas judicio commiſſurum, qui eum antè non conſuluerit. Quæ res igitur

eum extulerunt? aſſiduitas, diligentia, induſtria, probitas: quibus artibus ita inſtructus es, ut neminem tibi anteponam, comparem paucos. Sed de his quoque meliùs coram, & in congreſſu. Tantùm ne deſpera, neque tibi perſuade impudentiam, & confidentiam faciliorem ad honores, quàm pudorem & probitatem, munire viam. Non enim poteſt, nec ſolet virtus obſcura atque incognita diutius latêre. deprimunt eam quidem ſæpenumero factioſi homines, omniáque ad ſuam potentiam revocantes, demergunt, relegant, exterminant: ſed exurgit, atque emergit illa tandem: ſplendorémque ſuum vel invitis hominibus è latebris erutum profert in lucem, & in publico ſpectandum proponit: ab iis denique

qui

qui eam exegerant, ejecerant atque oppugnarant, ultro arceſſitur, appetitur, colitur. Itaque conſilium tuum probo, qui in urbe totius Galliæ maxima, celeberrima, opulentiſſima, quam non immeritò quis Ομηρικῶς dixerit κυδιάνειραν, aliquot annos commorari ſtatueris. Nuſquam enim vel rerum forenſium uſum faciliùs conſequi, vel actores cauſarum eloquentiores audire, vel tuarum vigiliarum, tuæque induſtriæ fructum uberiorem ferre poſſis.

Hæc epiſtola edita eſt inter epiſtolas Clarorum virorum ex collectione Ioan. Mich. Bruti. Lugduni apud Sebaſt. Gryphium 1561. in 8.

*EXTRAICT DV DIALOGVE DES Advocats du Parlement de Paris, fait par Maiſtre Antoine Loiſel Advocat, nouvellement imprimé parmy ſes Opuſcules.*

ET quant à ceux qui tenoient le Barreau & paroiſſoient plus au Palais, c'eſtoient Maiſtres Pierre Seguier, Chriſtophle de Thou, Denis Riant, Iacques Aubery, Anne de Chappes, Iean des Vaux, Guillaume Boucherat, Pierre Rebours, Charles du Moulin, François de la Porte, Iean de S. Meſloir, Pierre Robert, Leonard Goulas, Baptiſte du Meſnil, Laurent Bechet, CLEMENT DVPVY, Iacques Cannaye, &c. *Pag. 505.*

*Au meſme Dialogue pag. 508.* Maiſtres Guillaume Boucherat, Pierre Rebours, CLEMENT DVPVY, Iean Boüier, Iean Gillot & Lormier, decederent tous en la fleur de leur aage, ayans la pluſpart d'eux laiſſé une heureuſe memoire de leurs noms. Vous avez encore à preſent M. Rebours Preſident en la Cour des Aydes, les Conſeiller & Aduocat Gillots, enfants deſdits Rebours & Gillot, Feu M. le Conſeiller DVPVY grand homme de lettres & d'integrité en ſa charge, eſtoit auſſi fils de M. CLEMENT DVPVY, & pere de ceux qui commencent maintenant à paroiſtre.

*Ibid. 519.* M. Pierre Robert Advocat s'advança principalement par deux actions ; l'vne & la premiere fut la plaidoirie qu'il fit pour le Preſident d'Oppede en cette cauſe de Cabrieres & Merindol, dont l'hiſtoire eſt ſi bien décrite par M. de Thou, que je n'ay que faire de vous en parler davantage. Feu M. CLEMENT DVPVY avoit eſtó premierement chargé de cette cauſe, mais eſtant devenu malade de la maladie dont il deceda, le Preſident d'Oppede eut recours à Robert, lequel il inſtruiſoit de jour en jour de ce qu'il avoit à dire.

EPITAPHIVM CLEM. PVTEANI.

*Hac* CLEMENS *placidè dormit* PVTEANVS *in urna,*
*Ærumnis feſſus quas miſer orbis habet,*
*Quáſque ille advigilans cauſiſque intentus agendis*
*Pulmone invalido tabificóque tulit.*
*Hunc non Sardoniches, non purpura vendidit unquam,*
*Aut ſtantes alto limine quadrijuges,*
*Non faſtus, clamórque aut fœdera pragmaticorum*
*Nec duo vix horis reddita verba tribus,*
*Sed pietas, virtúſque animi, pectúſque diſertum,*
*Sanctáque cum vero culta labore fides.*
*Clarus ob hæc egit ſemper pro jure recuſans*
*Dicendo in cauſa jus violare mala.*
*Denique quod coluit, jus ipſum in funere ſervat*
*Cælo animum reddens, debita membra ſolo.*

IO. GORRÆVS.

ALIVD.

*Hic ſitus eſt* CLEMENS *longè optimus ille Patronus,*
  CLEMENS *Parriſij lumen honóſque fori.*
*Quem dum in judiciis dominari Parca videret,*
  *Et paßim cauſſas vincere quas ageret,*
*Vim verita eloquij, non dicta Rhetora cauſſa*
  *Damnat, inauditum tollit & è medio.*
*Heu Puteane jaces : Nec te facundia linguæ*
  *Parcarum indocili liberat arbitrio.*

*ELOGE DV PERE CLEMENT DVPVY Ieſuite Provincial en la Province de France, decedé à Bourdeaux l'an 1598. tiré du livre cinquiéme de la naiſſance de l'hereſie de Florimond de Remond, chap.* III.

ENCORE veux-je, avant que fermer ce Chapitre, dire que les deux plus grands Précheurs que la France ait veu, ont eſté Emond Auger Champenois, & Clement Dupuy Pariſien, tous deux Ieſuites, grands Theologiens, bons Philoſophes, fort diſerts & eloquents, propres à paiſtrir à toutes formes & figures les ames des Auditeurs, leur arracher & arreſter les ſoûpirs, faire rejallir & tarir les larmes de leurs yeux, & les tourner à leur deſſein & projet. Clement Dupuy eſtoit le mieux composé naturel, égal, mode-

ré & raſſis que j'ai jamais connu, l'entendement le plus éleué, plus choiſi, plus ſingulier; ſi riche au reſte en ſes diſcours, ſi veritable en ſes peintures, ſi naïf en ſes deſcriptions qu'il ne laſſoit jamais les oreilles des aſſiſtans. Auſſi ſçavoit-il de ſon ame faire paſſer & diſtiller ſes paſſions & affections en celles de ſes Auditeurs; & pour parler de luy ſon eloquence ſeroit neceſſaire. Lors que ce grand orage cuida abiſmer cét Ordre des Ieſuites, comme vous verrez quand je traitterai le ſchiſme de la France, il vint en Guienne pour y rétablir ſon Ordre. Mais comme ſi Dieu euſt envié ce bon-heur aux hommes, il fut retiré de ce monde au plus beau de ſon aage. Ie veux auec mes larmes & mes regrets, témoins de l'amitié que je luy ay porté, faire le recit d'vne choſe étrange, qui avint peu de jours avant ſon decez. Comme ce bel eſprit preſchant les quatre fins de l'homme eut ravy tous les écoutans de la richeſſe de ſes diſcours, repreſentant tousjours avec des paroles ſi bien choiſies & triées les appreſts & douleurs de la mort, l'effroy & l'horreur du Iugement, les tourmens & peines de l'Enfer, & la joie & felicité du Paradis, il advint que l'Advocat la Cour homme d'honneur & de beaucoup de lettres, couché dans ſon lit en vn profond ſommeil veit en ſonge ce bon Pere eſtendu au cercueil: Il ſe peine & pleure, & tout dormant en

ce travail, forge ſon epitaphe. Eveillé tout en pleurs, attriſté d'un ſi funeſte preſage, ſe fait porter de la lumiere, écrit les vers qu'il avoit baſti dans le ſommeil, & arrivé à l'Egliſe de S. Pierre pour ouyr ſon ſermon, il nous fait le recit de ſon ſonge; nous porte ſur l'heure les triſtes vers & les nouvelles de la mort de celui lors en chaire plein de vie & de ſanté, peignant auec mil beaux traits la beauté du Paradis, où dans peu de jours il alla jouyr de ce qu'il avoit ſi bien repreſenté. Ces vers qu'il laiſſa ſans autre poliſſure que celle que le ſonge lui avoit dicté, coururent ſur l'heure en la main de pluſieurs affligez d'un ſi mauvais augure, leſquels j'ai voulu mettre en ce lieu.

*Præpete dum toties errabat ad aſtra volatu,*
*Mentis & hinc animi motu dum cærula cæli*
*Templa frequentabat, tandem hunc ſuſcepit Olympus*
*Æternum, ipſe prior cæleſtis imagine formæ*
*Captus; acerba igitur nobis non mortis ademit*
*Te Puteane dies, ſed dum te ad ſidera tollis,*
*Iſque rediſque animo conſuetum limen Olympi*
*Terrea ſublimem te vita reliquit in aſtris,*
*Candidus ut degas cum Diis cæleſtibus ævum,*
*Luceat & nunc te Cælo non purior ignis.*

## SVMMA PRIVILEGII
### *Regis Chriſtianiſſimi.*

CAVTVM eſt auctoritate Regis, ne quis in regno ejus, aliíſve locis ejus ditioni ſubditis, librum qui ſic inſcribitur, *Viri eximij* PETRI PVTEANI, *Regi Chriſtianiſſ. à Conſiliis & Bibliothecis Vita. Cura* NICOLAI RIGALTII. quouis charactere, aut forma excudere, aut alibi excuſum vendere, alióve quolibet modo diſtrahere poſſit intra novem annos, computandos à die abſolutæ primæ editionis, præter Sebaſtianum Cramoiſy, Regis & Reginæ Architypographum, Regiæ Typographiæ Gubernatorem, necnon Vrbis Exconſulem. Qui ſecùs fecerit, mulcta eſt indicta, prout fuſiùs in diplomate regio continetur. Datum Pariſiis die 15. Decembris 1652. Sic ſignatum, De mandato Regis, LE BRVN.

*Hæc prima editio perfecta fuit die 15. Feb. 1653.*

BIBLIOTECA NAZIONALE V.E.
ROMA